



Евангелие
Св. Луки
1600 г.
И. П. С.



I. 26. J.

ΕΥΝΑΠΙΟΥ

ΤΟΥ ΣΑΡΔΙΑ-
ΝΟΥ ΒΙΟΙ ΦΙΛΟΣΟ-


ΦΩΝ ΚΑΙ ΘΡΗΣΔΩΝ.

I. 26

~~I. 26~~ ~~p. 102~~

E bibliotheca Ioan. Sambuci
Pannonij Tirnauiensis.

I. 26. J.



~~I. 26~~



ANTVERPIÆ,

Ex officina Christophori Plantini.

cId. Id. LXVIII.

Inscriptus Catat. Coll. Espan. Script. Iosef.



100
100

p. 98

Aus

(XII u

k, Th.,

m. 184 S

L., R

fan.


lark.

Rön

004 S.







STANISLAI GRSEPSII
DE MVLTIPlici
SICLO ET TALENTO
HEBRAICO.

ITEM;


DE MENSVRIS HEBRAICIS, TAM
aridorum quàm liquidorum.

*HIS PRAEMISSA EST EPITOME DE
ponderibus & mensuris, quæ apud profanos leguntur
auctores, ex Budeo potissimum desumpta.*

INVENIES hic multa hætenus nostri
seculi hominibus incognita.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXVIII.



W woluminie kolejno współprawne sygnatury:

SD 3627 I

SD 3628 I

SD 3629 I

SD 3630 I



Εὐαγγέλιον

Ματθαίου

ἡ δευτέρου

ἰστορίου

ἡ τρίτου

ἡ τέταρτου

2.

b.d

101015



Dar Kuratorj. Okr. Szk. Pozn.
Z księgozb. Gimn. im. M. Magd.
w Poznaniu. 1930.

STANISLAI GRSEPSII
DE MVLTIPlici
SICLO ET TALENTO
HEBRAICO.

ITEM,

DE MENSVRIS HEBRAICIS, TAM
aridorum quàm liquidorum.

HIS PRAEMISSA EST EPITOME DE
ponderibus & mensuris, quæ apud profanos leguntur
auctores, ex Budeo potissimum desumpta.

INVENIES hic multa hæctenus nostri
sæculi hominibus incognita.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXXVIII.

DE MUSEO
SIGILLI
HERALDICO

ITEM

DE MENSURIS HERALDICIS, TAM
ANTICIS QUAM MODERNIS

HIS TABULIS EXPOSITIS, QUAE
PER ALIUM QUONDAM, QUI NOME
HABET, ET INDESCRIPTUM

DE VITIIS ET DEFECTIBUS

S. D. 3629. I

101033



ANVERSIAE
EX OFFICINA GASTROPHONI PLANNI
M. D. LXXIII.

3
CLARISSIMO VIRO

DOMINO STANISLAO MI-
LOSHEVIO SACRÆ REGIÆ MAIE-
STATIS A SECRETIS, DOMINO ET
AMICO. MVLTIS NOMINIBVS CO-
LENDO, STANISLAVS GRSEPSIVS,
S. P. D.



VM Geometriam
nostram ante bi-
ennium hoc, sub
tuo nomine in lu-
cem emitterem,
vir clarissime, pollicitus sum
melius aliquid in posterum, &
quod maioris esset momenti,
nomini tuo me dedicaturum.
promissis igitur stare volens, li-
bellum hunc, cùm edere in pu-
blicum constituisssem, tibi dedi-
candum putavi: exiguum qui-
dem

dem illum fateor : sed si animo
& viribus offerentis eum metia-
ris, abunde magnum, nec diffido
nostrū hoc qualecumq; munus-
culum gratum fore tuæ præstan-
tiæ, si non alia re, certè nouitate
ipsa; noua enim sunt quæ à no-
bis in lucem nunc proferuntur.
Nam de siclo multi scripserunt,
sed de multiplici siclo nullus,
quorum quidem ego viderim
scripta. Itidem de mensuris, quæ
in sacris leguntur libris, non pau-
ci scripsere; sed quàm multiplex
corus, bathus & aliæ mensuræ
fuerint apud Hebræos, nemo
hucusque tradidit. Hoc idem de
anno quoque dixerim, neminem
hactenus docuisse, quorum scri-
pta

pta ad nos peruenerint, quàm variè apud Hebræos accipiatur annus, etiamsi permultum referat. hæc scire ad intelligendas sacras litteras. Sed qualecumque tandem est quod per nos præstantiæ tuæ offertur, hilari frõte, fat scio, accipies: nempe ab eo cuius tu studiis à teneris annis impensè delectatus es, ita vt etiamnum præceptoris Grsepsij memoria apud te longè gratissima sit, & in summo habeatur precio. bene vale, vir clarissime, & Grsepsium tuum ita, vt soles, ama. Cracouiæ ex collegio maiori, tertio, Idus Augusti. Cl. Io. LXVII.

A

3

STA-



Ibri Budæi de asse, candide lector, quantam voluptatem pariter & utilitatem legentibus asserant, facile qui legit perspicit. Ego autem opus illud cum attentius legissem, non mediocriter dolui, quòd in Hebraicis ponderibus & mensuris inuestigandis vir ille non posuisset tantum opera, quantum in iis posuit, quæ apud profanos leguntur auctores. Hebraica enim Budæus in genere tantum tractat, ostendens apud Hebraeos magna & parua atque adeò etiam minima talenta fuisse. Sed quantum fuerit aliquod talentum, non desinit. Nos igitur cupientes cognoscere, quæ à Budeo sunt omissa, plurimum in eo negotio laborauimus, sed qua felicitate, iudicabunt alij qui nostra hæc cognoscere non grauiabuntur.

Nostri

Nostri certè in hac parte (quorum quidem ego scripta post affem Budæi viderim) nihil ferè norunt nisi quæ Rabini docent: nempe talentum Hebraicum duplex & siclum duplicem. De regio autem talëto, & siclo regio, & item de minimis & maximis talentis siclisque, nihil penitus nouerunt. Sed nec illud obseruarunt, talentum auri & siclum diuersum esse à talëto & siclo argenti: sicut aris ferriq; pondera diuersa fuerunt à ponderibus argenti & auri. Nec mensuras etiam melius cognitas habuimus. nam quæ Hebræi neoterici de mensuris sentiunt, ridicula sunt. Josephus autem nunc eorum decem Atticorum medimnorum dicit esse, nunc septuaginta coros efficere dicit Atticos medimnos quadraginta & unum. quæ quomodo cohæreät, hucusque nemo ostendit. Et idem bath mensuram Septuaginta interdum transferunt bathum, interdum metretem, aliquãdo choea, id est congium,

nonnunquam cotulam, quorum rationem reddere nemo, quod equidem sciam, reddere conatus est; quasi aut Septuaginta minus rectè transtulerint, aut hæc scire non magni sit momenti. Atqui Septuaginta illos interpretes, & Iosephum probabile non est hæc ignorasse, qui templo & repub. Hebræorum stante, & ceremoniis veteris legis durantibus, vixerunt sacerdotes & sacrarum litterarum scientia clari, ita vt ignorare talia nefas illis esset. Quod autem non parui sit momenti hæc nosse, manifestum est, cum in sacris libris nusquam non obuia sint: Ut qui ignarus eorum fuerit, necesse sit in multis scripturae locis eum herere atque halucinari. Ut ne commemorem quòd nec ratione anni Hebraici scire poterit qui hæc non nouit.

Quàm variè enim annus apud Hebræos accipiatur, hucusque nemo tradidit. ex quo autem semel amissa est cognitio huius rei, nõ potest recuperari nisi ex proportio-

ne ponderum & mensurarum. In mensuris enim & ponderibus Hebraicis eadem proportio inuenitur. mensurarum autem suarum modos prisci illi habita temporum ratione instituerunt: proinde annus apud Hebræos eodem modo diuiditur quo pondera & mensuræ, vnde qui hæc intelligit, & annum facile intelliget: cuius cognitio quàm sit necessaria ad intelligendas scripturas, is demum cognoscit, qui diligenter perpendit quantas tenebras ignorantia temporum parere solet. Ego verò cognitionem Hebraicorum non solum ad sacras scripturas, verum etiam ad profanos auctores intelligendos utilem esse video. Sicut enim Hebraica ex collatione Græcanicorū & Italicorum, ita & Græcanica Romanæque, si conferantur cum Hebraicis, melius intelliguntur. Cur nonnulli aurei dicantur hemiecta apud Athenienses, non facile rationem dare poterit qui Hebraica non tenet. Item talen-

tum Atticum apud Plinium cur sedecim
 sestertiis taxetur: & apud Xenophontem
 tria millia aureorum Daricorum, qua
 ratione decem talenta dicantur, aliaque id
 genus multa, facile intelligit qui Hebraica
 tenet. Quin & Romana pondera mensu-
 rasque, sicut Budeus docuit, eadem cum
 Atticis ponderibus mensurisque fuisse.
 quamuis antea non dubitauerimus, medi-
 tandis tamen Hebraicis magis in nostra
 confirmati sumus sententia. vnde mirari
 subit Georgium Agricolam, virum alio-
 qui doctum, quod quæ Budeus rectè do-
 cuit, conuellere ausus est, asserens pondera
 & mensuras Romanas diuersas esse ab
 Atticis, & argumentis Budæi, quod ni-
 hil ad Bacchum facit, opponens pondera
 & mensuras medicorum. Hinc complures
 auctorum locos perperam interpreta-
 tur, aut, si deprauati sint, tuetur ac defen-
 dit. cuius rei exemplum vnum & alte-
 rum adducam. Suetonius de Iulio Cesare

ita scripsit: Populo Romano hortos circa Tyberim & Viritim tricenos sestertios legavit. Appiani autem Latina exempla pro CCC sestertiis, quinque & octoginta drachmas Atticas habent. quem Appiani locum Budaus, corruptum esse iudicans, emendavit. Agricola autem contendit rectè scriptum esse, etiamsi nec ita scriptus ad institutū ipsius satis quadret. Ceterum locum hunc in Latinis exemplaribus vitiatum esse, & Budaum rectè emendasse, Græca exemplaria docent: τῶ δήμῳ δὲ ἦσαν οἱ κῆποι ἐνδίαίτημα δεδομένοι καὶ κατ' ἀνδρα ῥωμαίων τ' ἔτι ἐν ἄσει, ἄντε καὶ ἐβδουμήκοντα ἀττηγὰ δραχμαί. Est & alter Appiani locus cum Suetonio mirè congruens. Suetonius ita habet: Populo præter frumenti denos modios & totidem olei libras tricenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, Viritim diuisit, & hoc amplius centum pro mora. Appianus autem Casarem post triumphum
 pecu-

pecuniam diuississe refert, ita ut promissa
 superaret, & addit singulis è populo da-
 tam esse minam Atticam : quem locum
 Agricola~~m~~ quia contrarium sibi videbat,
 conatus est eludere. Suetonius (inquit)
 tricenos sestertios populo datos dicit, Ap-
 pianus autem minam Atticam ; Mina igitur
 Attica non centum sed septuaginta
 quinque denarios valet. quasi Suetonius
 CCC. tantum nummos & non CCCC.
 singulis è populo datos esse dicat, aut quasi
 Appianus non plura dedisse Caesarem scri-
 bat quàm promisisset. Sed hæc quàm fri-
 uola sint, nemo est qui non cernat. Nec
 meliori fide mensuras tradit Agricola :
 vult enim Romanas mensuras & Atti-
 cas diuersas esse. & hoc dum conatur
 probare, docet amphoram Atticam seu
 metretam congios duodecim capere, &
 congium sextarios sex ; sextarium duas
 cotulas ; & versus Fannij citat.

Attica

*Attica præterea dicenda est amphora
nobis*

*Seu cadus, hanc facies nostræ si adieceris
urnam.*

Ex quibus postea argumentatur: Si Attica amphora capit amphoram Romanam & urnam; Romana verò amphora cõgios octo, urna quatuor: nonne sequitur metretem continere choas, qui Romanis congij dicuntur, duodecim? Ita probat amphoram Atticam diuersam esse à Romana.

*Nec videt interim se sibi contrarium esse. Si enim Attica amphora capit tres urnas, & congij ac cotulæ totidem sunt cum Attica amphora: quot in tribus urnis Romanis necessariò consequitur cõgios & cotulas Atticas cum Romanis congiis & cotulis æquales esse, quod contra Agricola est, qui omnem, quod aiunt, lapidem mouet ut hæc diuersa esse ostendat. Et Budæus quidem, cum mensuras tractat, ostendit ex multis auctorum locis se veritati
conso-*

consona docere. Agricola autē, vt ne alia
 commemorem, Atticum chænicem, qui est
 diurnus hominis cibus, aded exiguum fe-
 cit, vt gallinae potius quàm hominis diur-
 nus cibus sit dicendus. Hoc autem Agri-
 cola ex eo contigit quòd cùm medicus
 esset, medicas mensuras & pondera cum
 publicis eadem esse voluit. Firmamentum
 autem argumentorum ipsius in Romano
 sextario Galeni consistit: cuius mensuram
 ostendit Galenus ex alia mensura quæ li-
 bra dicitur. ὁ πάμπλου καὶ ὄλιω τὴν πόλιν
 ἔστω. quæ mensura (inquit) frequentissima
 est in tota vrbe. Quod autem Galenus de
 libra dicit, dicturus erat & de sextario si
 publicum & non medicorum intelligeret
 sextarium; neque enim minus frequens
 erat sextarius publicus in vrbe Romana,
 quàm libra, nec minus notus, vt propterea
 mensura ipsius ex libra esset ostendenda.
 Sed de Agricola scriptis hæc admonuisse
 sufficiat. Ut autem ad institutum redea-
 mus,

mus, nos de ponderibus & mensuris Hebraicis ante aliquot annos quæ habuimus conscripsimus, breuiter quidem & nudè utpote quæ inter commentandum scripsimus iuuandæ memoriæ gratia, ne videlicet meditata exciderent ac dilaberentur. Sed tamen ea puto commoditate in lucem prodeunt, vt ne breuitas nimia molestam obscuritatem legentibus facessere possit. Ut autem Hebraica facilius intelligantur, præmisimus iis epitomen ex Budæo potissimum desumptam de ponderibus & mensuris Græcorum & Romanorum: quamuis & hic complura ex auctoribus addidimus, quæ ad intelligenda Hebraica faciunt, & in assè Budæi non reperiuntur. Omnia autem hæc ad vernacula nostra, nempe Sarmatica pondera & mensuras reduximus. Sed ita vt exemplo simili hæc eadem ad sua quisque reducere possit. sub finem autem libelli complura de anno Hebraico addidimus: cognitio enim

pon-

ponderum & mensurarum est veluti
via quaedam ad cognitionem anni. proinde
traditis ponderibus & mensuris Hebrai-
cis non alienam ab instituto nostro nec in-
gratam legentibus rem facturos nos arbi-
trabamur, si aliqua de anno adiceremus,
praesertim quae ab aliis nondum essent ob-
servata. Vale lector, & operam nostram
boni consule.

EPITOME EX LIBRIS

BVDAEI DE ASSE POTIS-
SIMVM DESVMPTA.



S vel assis apud veteres quæuis res, quæ in duodecim diuiditur partes.

As enim aliquando dicitur libra, quæ in duodecim partes, hoc est, vncias diuiditur. Aliquando nûmus libralis, hoc est, vnius libræ. Aliquando pes, quæ mensura duodecim vncias, hoc est, pollices habet. Aliquando iugerum, quod duodecim vnciis seu partibus constat. Dicitur & de mensura liquidorum, vt postea dicemus. Sed & hæreditas dicitur as: vnde ex asse hæredem facere, id est totius hæreditatis. Usura quoque centenaria pro asse intelligitur: quæ dimidiata dicitur semis, & rursus semis dimidiatus, quadrans, similis ratio de trientario fœnore.

Breuiter, quicquid in duodecim partes diuidebant veteres, assem vocabant; & partes, vncias.

As in duodecim vncias distribuitur.

- | | |
|-------------|-----------------------|
| 1 vncia. | 2 sextans |
| 3 quadrans. | 4 triens. |
| 5 quincunx. | 6 semis vel semissis. |
| 7 septunx. | 8 bes vel bessis. |
| 9 dodrans. | 10 dextans. |
| 11 deunx. | 12 as vel assis. |

B

As

As igitur, vt ad id quod instituimus veniamus, libralis nummus fuit, libram grauis æris pendens. Nam Romani primo graui ære, id est, nummo rudi & informi vsi sunt. Postea ære signato, quod fuit sub sexto demum rege. Deinde argento signato, quod quinque annis ante primum Punicum bellum fuit. Seruius rex primum apud Romanos signauit æs: signatum est autem nota pecudum, vnde & pecunia dicta. Quadrans, teruncius aliter dicitur, à tribus vnciis, quod sit libellæ quarta pars; quomodo & quadrans assis.

Triens tertiam assis partem valebat.

Semis autem duos quadrantes.

Sestans sexta pars assis: nummulus erat quadrante minor duas vncias valens.

Vnciaria stips apud Plinium dimidio minor quam sextentaria.

As dipondius duos asses valebat. Ab asse veniunt tressis, quadrassis, nonussis, decussis, centussis, &c. pro tribus, quatuor, nouem, decem & centum assibus.

As & libella idem. sed libella argentea fuit, vnde & argentea libella dicta. As nunquam fuit argenteus, sicut denarius, nunquam fuit æreus. sed ante argentum signatum æreus decussis vt centussis æreus fuit.

Cum apud antiquos mille æris legimus, mille asses intelligere debemus. mille autem asses, centum denarios valent.

Denarius, vt diximus, nunquam fuit
æreus

æreus apud Romanos, sicut nec drachma apud Græcos, sed signata statim argentea pecunia constitutum vt denarius libris æris decem valeret, id est, decem assibus, & sestertius (nam & hic nunquam æreus fuit) dipondio & semisse : vnde quatuor sestertii denarium vnum æquabant.

Quinarius quinque asses, hoc est duos sestertios valebat. hic etiam victoriatus dictus fuit: nos non amplius tres vidimus tales.

Denarios verò permultos vidimus & complures etiam nacti sumus. Nam in Sarmatia etiamnum multi reperiuntur effigies & inscriptiones consulum & Cæsarium Romanorum habentes : nacti sumus & Gallicanæ monetæ pondera, quibus Budæus in explicandis ponderibus antiquorum vtitur. & ex his omnibus deprehendimus denarij Romani pondus esse quantum est quatuor semigrossorum nostrorum, paulo minus, semisiciliquo Cracouiensi.

Quod vt exactius intelligatur, confereamus libram nostrâ cum Romana, & quid inter hanc & illam intersit, dicemus.

Libra aurificum nostrorum in totidem sicilicos, in quot & Romana, diuiditur. Romana enim libra habuit duodecim vncias, vncia quatuor sicilicos, atque ita libra Romana habuit quadraginta octo sicilicos. Nostra autem libra diuiditur in selibras, seu marcas duas, & marca in

XXIIII siciliquos, vnde libra nostra
XIIII siciliquorū est, sicut & Romana.

Pondus autem libræ & marcæ nostrorum aurificum non est idem vbiq; . Marca Cracouiensis, Posuanieñ. Vvratislauieñ. & Lublineñ. est eadem : Leopoliensis autem est maior trium siciliquorum pondere. In Masouia & Prussia est minor Cracouiensi. Torunenſis Marca vnus siciliqui pondere, & duæ marcæ, hoc est, libra, minor est Cracouiensi pondere duorum siciliquorum. Romana autem libra superatur a Cracouiensi septem denariis Romanis & quadrante, hoc est, tribus siciliquis Cracouiensibus & semidodrante ferè siciliqui.

Nummulariorum autem nostrorum libra quantum conicere licet ex iis quibus nunc vtimur nummis, minor est quàm libra Cracouiensium aurificum. & grossi quidem grauiores sunt. semigrossi verò exactè cum ponderibus Romanis conueniunt. Octo enim in siciliquum Romanum signati sunt, etiamsi alii aliis paulo sint vel grauiores vel leuiores. Deprehendes hoc etiam in maiori pondere. Si enim in altera lance ponas libram aut selibram Romanam; in alteram autè semigrossos, qui pondere æquent libram selibram uè, inuenies in singulos siciliquos octo semigrossos cedere. Cùm autem dico semigrossos, excipio illos, qui Piorunki vocantur; illi enim leuiores sunt, nec iustum pon-

pondus habere iudicati sunt, etiam tunc cum primum signati essent. Habet autem pondus semigrossus noster idē quod Austriacus Cruciatu, nempe Vienenfis. Ex hoc autem semigrossorum pondere ego coniiicio libram Nummulariam apud nos antiquitus Romanum pondus habuisse. Cuius rei argumento sunt etiam mensuræ nostræ cum Romanis mensuris conuenientes, vt inferius ostendemus. Vnde antiquitus cum in vsu fuissent apud nos denarij Romani, marca pecuniæ, hoc est, quadraginta octo denarij, marcam argenti valebat, & ex eo etiamnum quadraginta octo grossi dicuntur marca, etiamsi marcam argenti nec valore nec pondere æquent.

Romanos autē denarios apud nos fuisse in vsu, apparet ex eo, quod etiam nunc multi reperiuntur in agris, & singulis annis multi per totum ferē regnum ab aurificibus conflantur. Quod autem denarius seu nummus denarij pondere signatus in Gallia etiamnum vocetur grossus, testatur Budæus de asse.

Cæterum quod libram Romanam dixi fuisse duodecim vnciarum, hoc intelligendum est, non de libra Nummulariorum. Nam libra nummularia apud Romanos, quæ etiam mina & pondo dicitur, centenaria fuit, id est, centum denarios habuit, seu quod idem est, duodecim vncias & semissem, quæ siciliquos efficiunt quinquaginta

ginta Romanos. Hanc minã Cracouiensis libra superat, sesquifiliquo ferme, nẽpe tribus denariis & dodrante scrupuli.

Est autem scrupulus sexta pars siciliqui, & denarij tertia; tres enim scrupuli denarium appendunt, & sex scrupuli siciliquũ. Sed postquam de pondere denarij diximus, atque adeò etiam de pondere libræ, ac minæ Romanæ; nunc quanti æstimanda sint hæc, dicamus. Marca argenti puri Cracouiæ æstimari solet florenis octo: & duæ marcæ, hoc est, libra, sedecim florenis. Interdum tamen argenti pretium augetur, vel minuitur. Marca argenti nũc venditur octo florenis & quatuor grossis; & libra sedecim florenis & octo grossis.

Nos verò inter vtramque æstimationẽ hanc incedentes statuemus libram argenti, plus quàm sedecim florenos valere, minus tamen quàm sedecim florenos & octo grossos. Ita vt mina Romana, quæ minor est Cracouiensi ferè sesquifiliquo, æstimetur quindecim florenis & semisse, & præterea tribus grossis, quæ summa nouem Vngaricos valet aureos: quandoquidem Vngaricus aureus, nunc quinquaginta duobus permutatur grossis.

Quod autem Romana mina (quæ Cracouiensi minor est, vt diximus, ferè sesquifiliquo) rectè a nobis nouem Vngaricis aureis æstimetur, ita colliges. Adde quindecim grossos, & si libet etiam semissem, ad prædictam summam, nempe ad nouem

Vnga-

Vngaricos, pro sesquiciliquo (quo libra seu mina Romana superatur à Cracouiēsi) habebis precium Cracouiēsis libræ, sedecim florenos & tres grossos cum semisse: quæ summa, sicut vides, mediū tenet inter vtramque æstimationem, nempe inter eam, quæ est sedecim florenorū, & eam quæ est sedecim florenorum & octo grossorum.

Si igitur minam, hoc est, centum denarios statuemus nouem Vngaricos valere, denarius vnus valebit ferè quatuor grossos & duos solidos; & sestertius nummus grossum vnum, & tria ferè minuta. As autē paulo plus valebit, quàm octo minuta, semigrossum videlicet non integrum. Et hæc est denarij & minæ simplex æstimatio. Budæus autem minam Romanam æstimauit coronatis Gallicis decem. Sed Gallicus coronatus tunc minori precio permutabatur in Gallia, quàm nunc permutatur. Non enim auri & argenti idem est precium semper, nec in omnibus regionibus, sed pro diuersitate regionum & temporum variare solet. quapropter nec mirum videri debet, si quid æstimatio nostra discrepat ab æstimatione Budæi.

Denarius drachmæ Atticæ pondus habuit & æstimationem, & sicut drachma apud Græcos diuiditur in sex obolos, sic denarius apud Romanos in quatuor sestertios, ita vt sestertius sesquiobolum Atticum penderet, quod pondus etiam se-

migrossus noster habet. Sestertius & nummus idem. Sestertius ex eo dictus est quòd duos asses & semissem valeret, quasi sestertius.

Libra Romana, sicut diximus, quæ & mina & pondo dicitur, cētenos denarios, seu, quod idem est, centenae drachmas habuit. Cū igitur denarius quaternos sestertios æquaret pondere & æstimatione, liquet in libra Romana quadringentos fuisse sestertios, & duabus libris & selibra, mille sestertios. qua ratione fit, vt sestertia singula numero plurali millenos sestertios valeant, hoc est, duas libras & semissem: vt enim sestertius nummus dicitur ex eo quòd duos asses & semissem valebat, hoc est, duas libras æris grauis & selibram: Ita sestertia numero plurali & genere neutro ideò dicuntur, quòd singula duas libras & selibram argenti valerent, hoc est, ducentos & quinquaginta denarios, siue mille sestertios, quod idem est: sic fit vt decem sestertia & decem millia sestertium nummorum pro eodem ab antiquis dicerentur.

Mille sestertij æstimatione nostra viginti duos aureos & semissem valent. Dicitur autem mille sestertij & mille nummi: vel mille sestertium & mille nummum, vel copulatè mille sestertium nummum.

Decem millia nummum, vel decem millia sestertium, quod idem est, ducentos viginti quinque Vngaricos valebant. Hæc etiam decem sestertia dicuntur, cū
singula

singula sestertia singula millia significant.

Decies sestertium idem est quod decies centena millia sestertium. quæ summa centies maior est decem sestertiis. idem est enim decies sestertium quod mille sestertia. Cum enim singula sestertia milenos nummos sestertios valeant, si mille sestertios millies multiplices, fient decies centena millia, quem lingua vernacula millionem vocant.

Decies igitur sestertium centies ducentos viginti quinque Vngaricos valent, hoc est, viginti duo millia & quingētos : sic fiet vt millio Romanus viginti duo millia aureorum & quingentos aureos valeat.

Hoc igitur tenere oportet, quod quemadmodum cum à nummis sestertiis ad sestertia genere neutro fit transitus, numerus millies multiplicatur; ita cum ad eam loquutionem ventum est, quæ per aduerbia numeralia enuntiatur, sestertia singula centuplicata crescunt. vt verbi gratia, si centum sestertia dicam, centum millia sestertium intelligere debeas : quod si centies sestertium dicam, non iam centum sestertia, sed centies cētena sestertia, seu centies centena millia sestertium intelligendum sit.

Vt autem facilis & obuia sit vnicuique earum summarum intelligētia, quæ apud auctores identidem leguntur : subiectas hic oculis proposuimus, calculandi tædio studiosos leuare volentes.

Decem sestertia : ducenti viginti quinque aurei Vngarici.

Viginti sestertia : quadringenti quinquaginta aurei.

Triginta sestertia : sexcenti septuaginta quinque aurei.

Quadraginta sestertia : noningenti aurei.

Quinquaginta sestertia : Mille centum viginti quinque aurei.

Sexaginta sestertia : Mille trecēti & quinquaginta aurei.

Centum sestertia : duo millia ducenti & quinquaginta aurei.

Ducenta sestertia : ^{quatuor} quorū millia & quingenti aurei.

Quadringenta sestertia : Nouem millia aureorum.

Census equestris sub Iulio Cæsare.

Quingenta sestertia : vndecim millia & ducenti quinquaginta aurei.

Sexcenta sestertia : Tredecim millia & quingenti aurei.

Octingenta sestertia : Decem octo millia aureorum.

Census senatorius ante Augustum.

Notandum quòd supra mille sestertia, Romani ferè semper per aduerbia loquebantur. infra mille, nūquam per aduerbia locuti sunt, hoc modo:

Decies sestertium, id est, mille sestertia : viginti duo millia & quingenti aurei.

Duodecies sestertium : vigintiseptem millia aureorum.

Census senatorius sub Augusto.

Quindecies sestertium : Triginta tria millia septingenti & quinquaginta aurei.

Vicies sestertium : quadragintaquinque millia aureorum.

Tricies sestertium : sexaginta septem millia & quingenti aurei.

Quadrages sestertium : nonaginta millia aureorum.

Quinquages sestertium : centum & duodecim millia aureorum & quingēti aurei.

Sexages sestertium : cētum trigintaquinque millia aureorum.

Centies sestertium : ducenta viginti quinque millia aureorum.

Tanti æstimatus est vnio Cleopatæ.

Quadringenties sestertium : noningenta millia aureorum.

Tanti æstimatus est à Plinio ornatus Lollia.

Millies sestertium : bis & vicies centena & quinquaginta millia aureorum.

Id est duo milliones & ducenta quinquaginta millia.

Bis millies sestertium : quadrages quinquies centena millia.

Quater millies sestertium : nonages centena millia aureorum.

Decies millies sestertium : vigintiduo milliones & quingenta millia aureorum.

Quadrages millies sestertium : noningenties centena millia aureorum, id est, nona-

nonaginta milliones.

Vicies septies millies sestertium coegisse Tiberius dicitur, id est, sexaginta milliones, septies centena & quinquaginta millia aureorum.

Præter libram duodecim vnciarum & minam nummulariorum, fuit Italica mina, sicut Epiphanius docet, viginti vnciarum. Idem legimus in libello De ponderibus & mensuris titulo Galeni. Atque huius minæ seu libræ semissis, hoc est, decem vnciæ libra seu mina etiã dicta fuit, sicut Priscianus De ponderibus tradit: Et ex eo apud Romanos mensura olei vocabatur libra, quòd caperet olei libram ponderis decem vnciarum. Nec mirum cuiquam videri debet, quod semissis minæ seu libræ dicatur libra, cum semissis talenti apud Græcos dicatur talentum, sicut inferius docebimus, & apud Oribasium legimus minam octo vnciarum, quæ est semis minæ sedecim vnciarum. fuit enim mina seu libra medicorum sedecim vnciarum, quæ Ægyptia mina quoque dicitur.

Legimus præterea, Italicã minam fuisse vnciarum decem octo, quæ sesquiplam habuit proportionem ad libram duodecim vnciarum, & huius semis sunt nouem vnciæ, seu quod idem est, septuaginta duæ drachmæ, mina Attica, quæ postea auctior facta est tribus drachmis, quemadmodum & libra duodecim vnciarum aucta est quatuor drachmis, & facta est cetenaria: quod
ex

ex proportione auri ad argentum cōtigit, vt inferius dicemus. Legitur & octoginta quatuor drachmarum libra, apud Latinos medicos, eam proportionem habens ad libram septuaginta duarum drachmarum, quam libra duodecim vnciarum habuit ad libram octoginta & quatuor drachmarum. Sed Romanis vsitatissima fuit & maximè vernacula libra duodecim vnciarum, as & assis dicta, & post hanc cētenaria, quæ & mina & pondo dicitur.

Sicut autē as seu assis diuiditur in duodecim vncias; ita vncia in quatuor siciliquos, & siciliquus in duas drachmas seu denarios: ita vt vncia octonas contineat drachmas. Drachma rursus diuiditur in terna scrupula quæ à Græcis *γραμμата*, id est, litteræ ideò dicuntur, quòd quatuor & viginti litteras Græci in alphabeto suo habent; quot vncia scrupulos capit, & dies ciuilibus horas.

Scrupulum diuiditur in sex siliquas. Siliqua est genus minuti ponderis à siliquæ grano, cuius habet pondus, sic dicti. Est enim siliqua genus fructus cuius sex grana scrupulum appendunt. nostri hoc genus fructus, panē S. Ioannis, vernacula lingua vocant, in officinis pharmacopolarum inuenitur. scrupuli pondus non multum abest à pondere semiargentei nostri, quem Triplicem vocamus. Drachma seu denarius, pōdus habet duodecima parte maius quàm Vngaricus aureus. Proinde vnde-

cim

cim drachmæ appendunt duodecim Vn-
garicos.

SUPPUTATIO GRÆCORVM.

DRACHMA Attica denarij Romani pōdus
& æstimationē habuit. Idē de mina Attica
& Romana sentiendum est. Mina Attica
centum drachmas Atticas habuit. Drach-
ma sex obolos, obolus semiscrupuli Ro-
mani habuit pondus. Obolus octonos va-
luit chalcos, id est, æreos. Bini chalci τε-
ταρτημοσιον, id est, quadrans dicti sunt. qua-
drantem enim oboli valebant.

Obolus iuxta proportionem æstimatio-
nis drachmæ est æstimādus. Si enim drach-
ma Attica, sicut & denarius Romanus,
quatuor grossos & duos solidos valet; obo-
lus Atticus, cum sit sexta pars Atticæ
drachmæ, valebit duos solidos & minuta
duo. Atque ita chalcus, id est, æreus, vale-
bit pauxillo minus duobus minutis, nem-
pe minutum vnum & dodrantem.

Talentum Atticum (inquit Pollux) At-
ticas drachmas valebat numero sex millia.
Babylonium septem millia. Ægineum de-
cem millia. Syrium mille & quingentas,
si quis supputationem ad drachmas Atti-
cas faciat. Itidem minas Atticas Atticum
quidem talentum sexaginta: Babylonium
septuaginta: Ægineum centum iuxta pro-
portionē habuit. Porrò mina ipsa vt apud
Athenienses centenas drachmas; ita apud
alios quoque totidem suas cuiusque gen-
tis.

tis: quæ pro ratione cuiusque talenti plus minusue valerent augmento vel decremento. Quæ verba Pollucis Budæus explicans, ex his, inquit, verbis ad formulam unam omnia propemodum genera talentorum minarumque redigere possumus. Quomodo enim Atticum talentum sexagenas minas capit, & mina Attica centenas suas drachmas, sic Babylonium sexagenas minas Babylonias quæ centenas & ipsæ drachmas vernaculas capiunt, & Æginense talentum totidem minas Æginenses, & Ægineticæ rursus minæ centenas drachmas Ægineticas. Verum enim verò ut Babylonium talentum proportionem ephectam, id est, sesquiseptimam (vel ut alij loquuntur superseptimam) ad talentum habet Atticum, sexta enim parte hoc ab illo superatur; sic drachma Babylonia Atticam drachmam sesquiseptima proportione superat: Et ut Æginense talentum proportionem superpartientem ad Atticum talentum habet, utpote quod semel id capit & duas insuper eius partes (ita enim se habet centenarium talentum ad sexagenarium) sic eandem quoque proportionem Æginæ drachma ad Atticam drachmam habet, ut quæ denos obolos Atticos capiat, quos Attica tantum senos. Hactenus Budæus. Notandum verò est, quòd sicut Pollux hoc loco dixit, Babylonium talentum septuaginta minas Atticas habere; ita Herodotus hoc ipsum talentum, nempe Ba-
bylo-

bylonium, Euboicas minas itidem septuaginta valere dicit, vnde colligitur minam Atticam & Euboicā æquales fuisse. Quod si mina Attica & Euboica sunt æquales, proculdubio & talentum Atticum cum Euboico sunt æqualia. Pro magnitudine enim talenti est magnitudo minæ, quandoquidem sexaginta minas quoduis talentum pro quantitate sui habet. Porrò Euboica pondera eadem cum Atticis ponderibus fuisse, argumēto est etiam talentum magnum, nempe octoginta minarū, quod vtriusque fuit commune.

Babylonium tamen talentum paulo maius septuaginta minis Euboicis fuisse, ex ipsius Herodoti computatione, qua Babylonia talenta reducit ad Euboica, colligit Budæus; quare Herodotus, cum Babylonium talentum dicit septuaginta minas Euboicas valere, non ad viuum refecuisse rem credendus est: sicut nec Iulius Pollux cum Babylonium talentū septuaginta minas Atticas habere dicit. Quod ex Æliano etiam probari potest, qui hoc libro primo variæ Historiæ capite xxii. exactius tradidit, his verbis, δύναται δὲ τὸ τάλαντον τὸ βαβυλωνίον δύο καὶ ἑβδομήκοντα μνᾶς ἀττικᾶς. id est, valet autem talentum Babylonium duas & septuaginta minas Atticas. Quare talenti Babylonij ad talentum Atticum Euboicumque proportio non est sesquisepta seu supersepta, sed sesquiquinta, seu superquinta, nempe quam sex habent ad quinque eadem-

eademque erit proportio minæ Babylonix ad minam Atticam Euboicam, & drachmæ ad drachmam.

Talentum Atticum minus seu Euboicum, hoc est, sexaginta Atticæ seu Romanæ minæ efficiunt libras aurificum Cracouientiū ferè quinquaginta octo & quinque siciliquos, seu quod idem est, centum & sedecim marcas & siciliquos quinque. Si quis autem æstimet singulas minas, sicut nos æstimauimus nouem aureis Vngaricis, talentum Atticum, hoc est, sexaginta minæ argenti valebunt quingentos & quadraginta aureos Vngaricos.

Maius autem talentum Atticum seu Euboicum octoginta minas appendit, hoc est, septuaginta septem libras Cracouientes, & fere semissem, centum quinquaginta quinque marcas. Porrò octoginta minæ argenti iuxta æstimationem nostram valent septingentos & viginti aureos Vngaricos.

Hoc talentum Græci cõmune habuerunt cum Ægyptiis.

Ægineum talentum sermone nostro potest dici *centnar*: centum minas appendit, hoc est, nonaginta sex libras nostras & quadraginta vnum siciliquum, nempe centum nonaginta tres marcas Cracouientes, & decem septem siciliquos.

Valent autem centum minæ, hoc est talentum Ægineum æstimatione nostra noningentos aureos.

Babylonium talentum maius quidem
 C septua-

septuaginta duas minas Atticas valuit, quæ efficiunt sexaginta nouem libras, & dodrantem, hoc est, centum triginta noué marcas & duodecim siciliquos aurificum Cracouiensium.

Minus verò idē cum Euboico seu Attico minore fuit. His enim pōderibus, sicut ex Herodoto discimus, Persarum reges vsi sunt, quibus Babylonica pondera fuerunt in vsu.

Syrium talentum fuit quadrans Attici talenti, libras nostras appēdit circiter quatuordecim & semissem. marcas vigintino- uem & siciliquum.

Præter hæc autem legimus talentum paruum fuisse numismaticum, nempe talenti iusti aliquotam partem, sicut apud Athenienses talentum fuit numismaticū minoris talenti sexta pars, maioris autem octaua. Apud Persas autem, qui Babylo- nis ponderibus vsi sunt, numismaticum fuit maioris quidem talenti sexta pars, mi- noris autem quinta. Attici talenti nu- mismatici Suidas meminit in dictione obolus: Talentum inquiens esse moderna quatuor, numismatica autem octo & sex. Minam autem sexagesimam talenti par- tem &c. Quomodo autem intelligendū sit, quod dicit, talētum esse moderna qua- tuor, inferius dicemus, cū de pōderibus Hebraicis tractabimus. Quòd autem dicit talentum esse, numismatica octo & sex, hoc intelligitur de maiori, & minori talen-

to Attico; maius enim octo talenta numismatica efficit, & minus sex: unde colligitur numismaticum talentum apud Athenienses decem minas Atticas Romanasue valuisse; sicut apud Babylonios numismaticum talentum decem minas Babylonicas valuit, quæ est sexta pars Babylonij talenti. Meminit autem Babylonij talenti numismatici Xenophon libro primo Anabases Cyri hisce verbis.

Ενταῦθα κύρος σιλανὸν καλέσας ἔαμβρακιώτῳ μάνπιν, ἔδωκεν αὐτῷ δαρεικοὺς τρισχιλίους, ὅπῃ τῇ ἐκδεκάτῃ ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας πρότερον πύθόμενος, εἶπεν αὐτῷ, ὅτι βασιλεὺς οὐ μαχεῖται δέκα ἡμερῶν κύρος δὲ εἶπεν, οὐκ ἄρα ἔτι μαχεῖται, εἰ μὴ ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις μαχεῖται, εἰάν δὲ ἀληθέυσης ὑπισχνούμαι σοι δέκα τάλαντα· τοῦτο τὸ χρυσίον τότε ἀπέδωκεν, εἰσὶ παρήλθον αἱ δέκα ἡμέραι.

Hoc est, vt Romulus Amasæus transtulit: Ibi Cyrus vatem Silanum Ambraciotem ad se vocatum, Daricis ter mille donauit, quod vndecimo die ante proximis decem diebus regem, cum id ex eo quaereretur, prælium commissurum negasset. Cui Cyrus responderat, non præliaturum certè illum, si intra decem dies non esset congressus: quod si id euento ipso verum esse cognouisset, talenta se illi decem receperat daturum. Hoc igitur aurum (siue pecuniam auream) tunc illi reddidit cum decem dies præteriissent. Hactenus Xenophon. Hic manifeste vides, ter mille Daricos decem talenta dici: unde sequitur talentum vnum esse trecentos Daricos. Daricus au-

tem sicli Hebraici pondus habuit, hoc est, quatuor Atticarum drachmarum, sicut ex Iosepho discimus, qui libro antiquitatum tertio, pro decem auri siclis iuxta siclum sanctuarij decem Daricos interpretatus est. Nec ignoro scripsisse quosdam aureum Daricum fuisse didrachmalem & viginti drachmas argenti valuisse. Sed hoc falsum esse coarguitur etiam ex Xenophonte, qui scribit stipendium menstruum Græcorū militum qui in castris Cyri merebāt, fuisse aureum Daricum, etiamsi posteaquam suspicari cœpissent Græci, se aduersus regem Persarum duci & proinde sequi recufarent, Cyrus stipendia iis auxerit & pro Darico promiserit sesquidaricum. Quod si Daricus didrachmus fuit, & viginti drachmas valuit; quomodo credibile est Græcos tam leuis mercedis gratia transmarinam militiam suscepisse, idque apud Persas ad quos non nisi magna spe lucri proposita in militiam proficisci consueuerant? Legimus apud Xenophontem stipendia militū Græcorum in Peloponeso ternos obolos Ægineticos fuisse in singulos dies, tres autem oboli Æginetici valent quinque Atticos, vnde colligitur singulos milites in mensem vigintiquinque Atticas drachmas accipere solitos. Apud Athenienses autem stipendium militum fuit drachma Attica in singulos dies: vnde sequitur stipendium menstruum fuisse militis triginta Atticas drachmas. Non igitur
 Dari-

Daricus didrachmus fuit, nec viginti drachmas valuit. Quis enim credat Græcos tam parua stipendia in castris Persarū meruisse? sed sicut Iosephus transfert sicut Hebraici, id est, quatuor Atticarum drachmarū pondus habuit. Atque ita non viginti drachmas, sed plusquam quadraginta drachmas valuit: ex purissimo enim auro signabantur Darici, sicut Herodotus testatur. Nos antiquissima vidimus aurea numismata Philippi, & Alexandri filij ipsius, & item Lysimachi, quorū pondusprehendimus tredecim ferè obolos Atticos & semissem, nisi quòd Lysimachei aurei pondus non detritum, sed ab initio, vt apparet, fuit diminutum, quemadmodum & argentei stateris. Nam vidimus & argenteos stateres Lysimachi duos pulcherrimos sanè, qui non attriti appendebāt obolo minus quatuor Atticas drachmas. Sed Macedonicos aureos pondus arguit Cygicenis aureis fuisse æquales. Legimus enim apud Demosthenem Cygicenum aureum valuisse vigintiocto drachmas, quanti & Macedonici possunt æstimari. Si quis enim pro Macedonico aureo paxillo plusquam duodecies tantū argenti appēdat, iuxta auri ad argentū analogiā antiquis usitatam, habebit vigintiocto drachmas argenti. Præter hos autem vidimus aureum Alexandri longè maiorem & forma diuersa factum, non enim galeatum, sicut in illis prioribus, sed diademate ornatum caput

in eo apparet, & quanquam adulterinus sit, elegantissimè tamen ad exemplar probi aurei videtur esse factus. Tales ego nummos Alexandræos post deuictos Persas crediderim percussos pondere Daricorum, ea enim magnitudo nummi illius est. Ut nisi adulterinus sit, quatuor Atticas drachmas appendere possit, hoc est, quatuor Vngaricos & trientem fere. Sed vnde digressi sumus reuertamur. Trecenti Darici pondus habent mille ducentarú Atticarum drachmarum, quæ minas Atticas efficiunt duodecim: Babylonias verò decem. Decem autem Babylonicæ minæ sunt sexta pars talenti Babyloni, sicut decem Atticæ minæ sunt sexta pars talenti Attici. Sed de talento numismatico adhuc dicetur, cum de ponderibus Hebraicis tractabimus. Babylonium talentum numismaticum viginti tres marcas Cracouienses & quadrantem appendit. Atticum autè talentum numismaticum decemnouem marcas Cracouienses & sicilicos ferè nouem.

DE AVREO NUMISMATE GRÆCORVM.

STATER aureus apud Græcos dimidiú pondus argentei stateris habuit. Stater argenteus tetradrachmus fuit, hoc est, quatuor drachmarum; aureus verò stater fuit didrachmus, hoc est, duarum drachmarum, sicut testatur Pollux.

Fuit apud Athenienses, sicut idè auctor tradit

tradit, præter stateres didrachmos aliud genus aureorum, qui semistateres & tetra-
 stateres vocabantur. Semistateres quidem,
 vt apparet, dicti, quòd semissem argentei
 stateris appenderent : tetraſtateres verò,
 quòd, ſicut Pollux dicit, quatuor ſtateres
 argenteos valerent, iidem vocabantur he-
 miecta octonum obolorum pondus habē-
 tes. Hemiectum enim ſignificat ſextæ par-
 tis dimidium, ſicut mēſura quatuor Chœ-
 nicum dicta eſt hemiectum, quòd ſextæ
 partis medimni eſſet dimidium: & ſemio-
 bolus apud Heſychium hemiectum dicitur,
 quòd oboli, qui eſt ſexta pars drach-
 mæ, ſit dimidium. Ad hunc igitur modum
 & aureus octo obolorum hemiectum di-
 ctus eſt, quòd quatuor ſtaterum, à quibus
 etiam nomen accepit, ſextæ partis dimi-
 dium appēderet. Si enim hemiectum octo
 obolorum fuit, ſexta pars haud dubiè ſe-
 decim obolos habuit, & integrum ipſum
 ſexies ſedecim, hoc eſt, nonagintaſex obo-
 los, qui ſtateres quatuor efficiunt, tetra-
 drachmos. Quod verò ſtateres tetradrach-
 mos valerent huiusmodi aurei, res ipſa ar-
 guit. Si enim pro octo obolis auri appendas
 duodecies tantum argenti (nam & hæc
 auri ad argētum analogia antiquitus fuit)
 habebis nonaginta ſex obolos, hoc eſt, qua-
 tuor ſtateres tetradrachmos. Non iniuria
 ergo tetraſtateres dicti ſunt huiusmodi au-
 rei à precio, quando quidem quatuor ſta-
 teres valebant tetradrachmos: Semistate-
 res

res verò quoniam semissem stateris argentei appendebát. Apparet enim apud Græcos fuisse etiam stateres argenteos sedecim obolorū, qualis planè fuit Corinthius stater, qui sicut Pollux scribit, decalitros, dictus fuit, quòd decem valeret litras. Litra autem, eodem teste, obolum Ægineticum valuit, vnde stater Corinthius valuit decem obolos Ægineticos, qui sedecim ferme Atticos obolos efficiunt. Si ergo nūmus qui sedecim obolos Atticos appèdit, stater dicitur, semissis huius, hoc est, octo oboli, dicitur semistater. Iam igitur ex iis quæ diximus, vides aureos nummos apud antiquos dimidium pondus argenteorum habuisse. Deinde illud etiam animaduertere debes, quòd stater sedecim obolorū, est didrachmum, talenti maioris Attici, & semistater octo obolorum, drachma: sex millia enim drachmarum octonum obolorum efficiunt talentum octogenarium, sicut sex millia drachmarum senum obolorum constituunt talentum sexagenariū.

Vnde stater apud Græcos, sicut & siclus apud Hebræos, didrachmi rationē habet, & semistater drachmæ. Hinc septuaginta siclum Hebraicum, qui idem cum statere tetradrachmo Græcorū fuit, didrachmum solent transferre: propterea quòd talenti Hebraici didrachmum sit, vt inferius, Deo volente, ostendemus.

Præter aureos verò iam dictos fuerunt & alij maiores aurei, nempe octo drachmi,
qui

qui minam, hoc est, centum drachmas valebant, sicut talentum auri sex drachmas Atticas appendens minam Atticam septuagintaquinque drachmarum valuit. Fuit enim apud Athenienses mina non solum centum drachmarum, sed & septuagintaquinque drachmarum, eam proportionem habens ad minus talentum, quam centenaria mina habuit ad talentum maius.

Cæterum talentum sex drachmarum non solum apud Athenienses, sed & apud Siculos fuit in usu. Siculum enim talentum, sicut Pollux ex Aristotele annotavit, antiquum quidem valuit vigintiquatuor nummos, posterius verò talentum duodecim nummos. Nummus autem sesquiobolum valuit, unde vigintiquatuor nummi sex drachmas efficiunt, & duodecim nummi tres drachmas.

DE AVREIS ROMANIS.

AVREVS Romanus Attici aurei didrachmi pondere percussus fuit, quod pondus habent octo semigrossi nostri. Hoc igitur fuit iustum pondus aurei Romani, duæ videlicet drachmæ Atticæ, seu quod idem est, duo denarij. Verum Cæsares Romani sensim diminuerunt pondus, de qua re Budæus plura scribit: ad extremum autem pro duobus tres signari cœperunt, ita ut tres aurei Romanorum principum quatuor drachmarum pondus haberent, quod

fuit pondus antea duorum aureorum. Tales autem aurei vocabantur solidi & pondus quatuor scrupulorum habuerunt. Nos vidimus huiusmodi cōplures, ex quibus alij quatuor scrupulos, alij minus appendebant: nam & horum pondus successu temporis diminutum est. Probabile est autem fuisse apud Romanos & octodrachmos aureos, sicut apud Athenienses. Nam vidimus multos huiusmodi non aureos quidem illos, sed aurum imitantes, ad exemplar, ut apparet, proborum aureorum elegantissime factos; nominatim, Claudij, Cæsaris, Neræ, Neronis, Vitellij, Antonij pij, Vespasiani, Domitiani, &c. quorum ea magnitudo fuit, ut si aurei essent, vnciam potuissent appendere. Sed & aureum extare audio apud Magnificum D. Ioannem Christophorum Comitum à Tarnou Castellatum Vvoynicensis, non dissimilem aureis Romanis cum inscriptione Græca ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΥ, sicut amicus quidam mihi retulit aulæ ipsius addictus, qui pondus nummi illius decem aureorum esse dixit. Sed hæc hæctenus.

DE AVRI AD ARGENTVM ANALOGIA.

AVRI ad argentum apud veteres varia fuisse deprehenditur analogia. Pollux decuplicem apud Athenienses fuisse docet, ita ut talentum auri decem talenta argenti valeret: quod tamen non de obryzo, sed de inferioris notæ auro intelligendum est.

Apud

Apud Romanos aureus, quē didrachmū fuisse diximus, centum sestertiis nummis permutabatur, id est, viginti quinque denariis: qua ratione auri drachma duodenis argenteis drachmis & semisse valuit: quam analogiam auri ad argentum fuisse apud Athenienses quoque coniecere possumus: quippe si aureus octodrachmus minam argenti valuit, non dubium est, quin auri ad argentum analogia fuerit, quam vnum habet ad duodecim & semissem; siquidem aureus vncialis mina argenti, hoc est, duodecim vnciis & semisse permutabatur. Itidem mina septuagintaquinque drachmarum videtur fuisse pretium talenti auri sex drachmarum. Si enim pro sex drachmis auri duodecies tantum appendas argēti, habebis septuaginta duas drachmas; quibus si addas semissem de sex, hoc est, tres drachmas, habebis septuagintaquinque drachmas. Libra autem duodecim vnciarum non ex hac auri ad argentum analogia, sed ex duodecupla vt apparet nata est, nempe cum aureus vncialis duodecim vnciis argenti permutabatur. Quæ quidem analogia non multum abest ab ea quæ nunc est auri ad argentum proportionem.

DE MENSURIS IUXTA ORDINEM
ALPHABETI.

AMPHORA vas pedis quadrati, quam formam tessariam Græci cubum vocāt.
Qua-

Quadrantem pedis Romani ex Glareano hic apposuimus.

QVADRANS PEDIS ROMANI.

Hæc mensura quadruplicata efficit Romanum pedem, qui idem fuit cum Parisiensi, quo Budæus est usus, iuxta cuius pedis mensuram & tu faciendam curare poteris amphoram Romanam, ita ut intus quoquo versus sit pedalis. Amphora quadrantal etiam dicitur, & fuit liquidorum & aridorum mensura. Amphora duas urnas capit. Amphora diuiditur in octo congios, congius in sex sextarios, ita amphora capit quadraginta octo sextarios. Amphora Romana capit mediam baryllam, hoc est, duodecim Cracouienses ollas vini. Amphora geminata medimnum constituit. Amphora seu quadrantal tres modios capit, hoc est, Coretum Cracouiensem vulgo dictum, quæ mensura quartario Calisiensi, qui vernaculo sermone *viertel* dicitur, est æqualis, itidem & semicoro Masouitico. Nam corus in Masouia duos coros seu coretos Cracouienses capit, sicut & quartarios Calisienses duos. Amphora Romana ab Atheniensibus peruenit ad Romanos: quandoquidem amphora semimedimnum capit, medimnus autem Romanus idem fuit cum Attico.

Præter hanc autem amphoram fuisse & alteram apud Athenienses discimus ex carmi-

carmi-

carminibus illius Fannij:

Attica præterea dicenda est amphora nobis,

Seu cadus, hanc facies nostræ si adieceris
urnam.

Ex his carminibus constat fuisse amphoram apud Athenienses, quæ tres urnas, hoc est, sesquiamphoram Romanam caperet: nempe duodecim congios. Hinc enim & choeus, hoc est, congius $\delta\omegaδεκῆς$, dictus est, quasi dicas duodecimarius, quod duodecima pars amphoræ, seu cadi esset & semicongium $\etaμιδωδέκατον$, sicut apud Hesychiū videre est. Est enim $\delta\omegaδεκῆς$ vox planè Attica, ita dicta sicut $\tauριτεῦς$, $ἐκτεῦς$ &c. Apparet enim apud Athenienses, sicut pondera, ita & mensuras duplices fuisse, nempe maiores & minores, quæ eam proportionem inter se haberent, quam habent pondera ad pondera; eam enim proportionem habet amphora duodecim congiorum ad medimnum sedecim congiorum, quam talentum sexaginta minarum habet, ad talentum octoginta minarum: qua de re etiam inferius dicemus, cū de mēsuris Hebraicis tractabimus.

ACHANE est mensura magna. Achane Persica capiebat quadragintaquinque medimnos Atticos. Nec Græcis ignota fuit Achane. Nos Achane habemus sexaginta medimnorum. *last*

ACETABVLVM est sequicyathus hemicæ quarta pars: idem oxybaphus dicitur.

ARTA-

ARTABA apud Barbaros, idem quod medimnus apud Græcos: capiebat autem artaba medimnum Atticum, sicut Hefychius & Suidas testatur. Persica autem artaba maior fuit medimno Attico tribus Chœnicibus Atticis, Herodoto teste. Præter has autem fuisse artabá, quæ semimedimnú Siculum capiebat, inferius ostēdemus, cum de mēsuris Hebraicis dicemus.

BROCHVS non est certum mensuræ genus, sed est vas fundendo vino accommodatum, implendis deplendisque culeis, & vino quoquomodo transuafando. Dicitur autem Brochus à *βρέχω* verbo græco, quod fundo significat. Græci œnophorum ex eo appellant quod cōportando vino aptū sit.

CADVS seu amphora Attica, sicuti diximus, sesquiamphoram Romanam capiebat. Apud Latinos Cadus & metretes decem congiorū fuit. Decima cadi pars, hoc est, congium, dicitur cadus, vnde & cōgiarius cadus dicitur, hoc est, qui congium tantū capit. Hoc ad intelligendas mēsuras Hebraicas expedit scire. Columella cadum vocat amphorá duarum vrnarum, vt cadus & amphora pro eodem accipiantur.

CONGIUM mēsuram liquidorum, octaua pars amphoræ, sextarios sex capiens. Congium, hoc est, decimam partem cadi non eiusdē mēsuræ fuisse credo cū hoc congiō.

COTVLA *κοτύλη*, Latine hemina, duodecima pars congiij, sextariij dimidium, vide in dictione chœnix.

CYATHVS duodecima pars sextarij, vide inferius in dictione sextarius.

CHŒNIX *ἡμερήσιος τροφή*, id est, diurnus cibus, mensura est aridorum capiens frumēti quantum vnus homo singulis diebus absumere potest. Chœnix tres cotulas capit, sicut docet Pollux & alij pleriq; : proinde & placentarum genus quoddam cotylisci dicuntur apud Athenæum, quod ex tertia chœnicis parte singuli nempe ex cotula farinæ conficerentur, quare chœnicem tres cotulas capere statuemus. Sed quoniam Budæus chœnicem duos sextarios capere, hoc est, quatuor heminas seu cotulas, euidentibus argumentis probat, ne quis argumenta Budæi reiicienda putet, quasi scriptis probatorum auctorum cōtraria, scire debet vtrunq; verum esse, & quod Budæus astruit, & quod prædicti auctores Græci docent. Apud Athenienses enim, sicut pōdera, ita & mēsuræ duplices fuerūt, maiores videlicet & minores, vnde maioris mensuræ, hoc est, medimni cotula fuit maior & minoris mēsuræ, hoc est, cadi, seu amphoræ cotula fuit minor : fac enim medimnū chœnices capere quadraginta octo, sicut Pollux docet, & singulos chœnices cotulas ternas; sic medimnum efficiet centum quadragintaquatuor cotulas, quē numerum cotularum etiam minor mensura, nempe cadus seu amphora duodecim congiarum efficit, duodecim enim congi septuagintaduos sextarios efficiunt, hoc est,

est, centum quadraginta quatuor cotulas. Cum ergo maior & minor mensura eundem numerum cotularum efficiant, necesse est illas cotulas non æquales fuisse, sed maioris mensuræ fuisse maiores, minoris autem minores, ita vt cotula maior eam proportionem habeat ad minorem quam medimnum ad cadum seu amphoram habet. Constat autem tres medimnos tantundem capere quantum capiūt quatuor cadi seu amphoræ duodenum congiorum, nempe tres medimni efficiūt sex amphoras Romanas, sicut & quatuor cadi; necesse est ergo & cotulas tres maiores tantundem capere, quantum minores quatuor capiūt. Sic igitur chœnix capiet cotulas tres maiores, sicut auctores Græci docent, & quatuor minores sicut Budæus astruit.

Videtur autem apud Athenienses maior cotula, id est, tertia chœnicis pars magis aridorū fuisse mensura quàm liquidorum: Minor contrà magis liquidorum, quàm aridorum.

CHOEVUS Græcè, Latinè congius dicitur.

CHVS interdum significat idem quod choëus. Chus, inquit, Nicandri interpres, sunt duodecim cotulæ. Interdum chus pro sexta parte huius accipitur, nēpe pro sextario. Vnde Hieronymus duos choas Atticos exponit duos sextarios Italicos. Et Plinius chun aliquando exponit congium, aliquando sextarium, quod ad Hebraicas mensuras scire expedit. Sicut autem congium

gium duodecim cotulis, ita sextarius duodecim cyathis constat. Cyathus autem & cotula plerunque confundi solent. Vnde quod Nicander in Alexipharmacis quatuor cyathos dixit, interpres Græcus quatuor cotulas interpretatur. Rursus Hieronymus pro cotula exponit Cyathum; sic ergo congius & sextarius, chus vno nomine dicitur, & vterque duodecim cotulis seu cyathis constat. Suidas inter choëa & chun hoc interesse dicit, quòd choëus sex capiat sextarios, chus autè duos sextarios. Nos autem iam ostendimus inter chun & choëa interdum nihil interesse. Quod autem dicit Suidas chun pro mēsurā duorum sextariorū accipi, hoc apud alios fuisse arbitror, non apud Athenienses neque apud Romanos. Nam apud plerosq; Græcorum sextarius inter sex Cyathos diuidebatur, sicut videre est apud Epiphanium, qui sextarium Alexandrinum dicit in sex cyathos diuidi, nō in duodecim, sicut apud Romanos, etiamsi Alexandrinus sextarius maior esset quàm Romanus. Duo igitur sextarij qui diuiduntur in duodecim cyathos, non absurdè dicuntur chus, sicut Suidas tradit.

C V L E V S viginti amphoras continet, vel urnas quadraginta; sed sæpe hoc vocabulum ad speciem & formā vasis refertur, non ad certum mensuræ genus.

D I C H V S geminatus chus.

D E M E N S V M à mēse vel metiēdo quòd

D

seruis

seruis quolibet mense solet admetiri: quatuor autem ferè modij dabantur seruis in mensem, sicut Donatus scripsit.

DOLIUM non habuit certam mensurá, ventricosum fuisse apparet. Vina in doliis inueterascere non sinebant antiqui, sed in amphoras & cados diffundebant. Dolium quadragenarium fortasse quadraginta amphorarum.

DEFVRTARIUM ahenum prægrande quo mustum coquitur.

FIDELIA vas famiú ad plurimos vsus: fidelia cõgialis legitur, fidelias vitreas & fistiles legimus apud Columellam.

HECTEVS, *ἑκτέως* apud Athenienses idè quod modius Romanus. Dicitur autem Hecteus quasi dicas sextarius, quòd sit sexta pars medimni.

HEMINA dimidium sextarij, dimidia quarta Cracouiensis.

HEMIECTVM sextæ partis medimni dimidium, id est, semodius.

LAGENA dicitur *λαγύνη* & *λάγυνον*, apud Athenæum ita legitur. *λάγυνον μέτρον λέγουσιν εἶναι ὄνομα παρὰ τοῖς ἔλλησιν ὡς χοὸς ἢ κοτύλης, χωρεῖν δ' αὐτὸ κοτύλης ἀττικῆς ἰβ*, id est lagenæ nomen dicitur esse apud Græcos, sicut chus & cotula, capere autem lagenam dicunt cotylas Atticas duodecim: ex quibus verbis discimus lagenam idem esse quod congium. Hinc enim & *λαγυνοφορίαι* festum apud Alexandrinos dictum, quod apud Athenienses choës vocabatur. Hoc tantú inter-

intererat, quòd apud Athenienses cùm celebrabantur choes, is qui excipiebat conuiuas, singulis congium apponebat vini. Alexandria verò lagenophoriis lagenam seu congium vini quisque secum in cõuiuium afferebat.

LIBRA mensura fuit apud Romanos, qua oleum metiebatur, & capiebat olei libram, hoc est, pondus decem vnciarum. Diuidebatur autem hæc mensura in duodecim partes, & singulæ partes vocabantur vnciæ. Proinde libra olei mensura, capiebat duodecim vncias mensurales, ponderales autem vncias decem.

MEDIMNUM seu medimnus mensura est aridorum & liquidorum duas amphoras capiens. Medimnus Romanus duos coretos vulgo dictos Cracouientes capit: Masouiensem autem vnum, duos quartarios Callisienses, qui *viertele* vocantur. Medimnus Atticus & Romanus idẽ fuit. Medimnus Siculus quadrante fuit maior quàm Atticus. Iosephus enim libro antiquitatum tertio, Siculos medimnos triginta vnũ & Atticos quadraginta vnum pro eodem accipit. Vnde colligitur Siculum medimnum, cuius mentio fit apud Polybiũ & alios auctores, octo modios Romanos capere, ita vt tres Siculi medimni quatuor Romanos efficiant. Medimnus apud Athenienses in tres partes diuiditur: tertia pars medimni vocatur *τριτεύς*, id est, tertarius, & huius dimidium dicitur *επιτεύς*,

hoc est, sextarius, quòd sit sexta pars medimni, Romani & alij Græci modium vocant. ἡμιεκτόν autem est sextarij seu modij dimidium quatuor chœnices capiens.

M O D I V S sexta pars medimni, proinde etiam dicitur ἕκτερος, Græci medimnum; alij in quinque, alij in sex modios partiuntur, etiamsi interdum vnus & idem sit medimnus, vnde nascitur diuersitas modiorum: quèadmodum in Sicilia medimnus Romanus diuidebatur in quinque modios, quem Romani in sex modios diuidebant. Modius Romanus maior est Cracouiensi modio, qui vernaculo sermone dicitur *matza*. Tres enim modij Romani quatuor Cracouienses efficiunt.

M E T R E T A idem quod cadus mensura decem congiorum: Congius autem non eiusdem mensuræ fuit apud omnes. Congius pro magnitudine mensuræ magnæ puta metretæ aut amphoræ fuit.

O X I B A P H V S idem quod acetabulum,

O R C A vas ad similitudinem belluæ orcæ; sunt enim teretes atque vniformi specie huiusmodi vasa.

O E N O P H O R V M idem quod brochus.

Q V A D R A N T A L idem quod amphora à forma nomine factò.

Q V A R T A R I V S quarta pars sextarij, quaterca vulgo dicitur; in ponderibus verò quartarius pro quadrante libræ.

S E X T A R I V S dicitur, quòd sit sexta congiij pars. Sextarius Romanus duas libras
liquo-

liquoris capit. Proinde si aquæ aut vini pō-
 dus viginti quatuor vnciarum accipias, ha-
 bebis sextarium Romanū. Sextarius Ro-
 manus capit quantum Cracouiensis quar-
 ta. Sextarij Romani dodrantem capit, *scilicet*
 mensura vulgo dicta Olomucensis, quæ
 Moraviæ est metropolis, proinde quatuor
scilicet efficiunt tres sextarios Romanos. sex-
 tarij Romani mensura in plerisque oppi-
 dis Masouia etiamnum reperitur. Ploti-
 a antiquitus fuit mensura, quarta vulgo
 dicta, sextario Romano par. Nunc verò
 non ita pridem est diminuta. In nonnullis
 tamen oppidis ad Plotiam pertinentibus
 adhuc prisca retinetur Sextarij Romani
 mensura, nominatim in oppido Mlana,
 vbi tum agebamus, cum hæc scriberemus.
 In quo oppido etiam est mensura congio
 Romano par, quæ mensura ceruisiæ semi-
 grosso venundari solet. Sextarius apud
 Romanos in duodecim Cyathos diuidi-
 tur. Cyathus duas vncias, hoc est, sedecim
 drachmas liquoris appendit. Sextans duos
 cyathos capit, nempe sextam partem sex-
 tarij. Triens verò tertia pars sextarij fuit,
 hoc est, quatuor cyathi. Sic quincunx, sep-
 tunx, bes, deunx, pro mensura quinque,
 septem, octo & vndecim cyathorum di-
 cuntur. Romani enim sextarium, quasi le-
 gitimam ac quotidianam virilis potus mē-
 suram statuentes ab eo, quasi ab asse inci-
 pientes, reliqua vocabula partes eius fece-
 runt, vt sextarius assis & partes eius par-

tium assis rationem haberent.

SERIA formam certam vasis denotat, non certam mensuram : erant enim seriæ vasa grandia, vt dolia, variæ capacitatis.

ΤΡΙΤΗΡΣ, id est, tertarius, medimni tertia pars, nempe decem octo chœnices, seu quod idē est, triginta sex sextarij. Vide medimnus.

XESTES Græcis, Latinis dicitur sextarius, etiamsi nonnunquam pro cyatho accipiat. Sicut enim chus non solum pro congio, sed pro sexta congij parte, nempe pro sextario accipitur: itidem cotula pro cyatho, cyathusq; pro cotula, etiamsi cyathus propriè cotulæ sit sexta pars, ad eundem modum Xestes, non solum pro sextario, sed & pro sexta parte sextarij, hoc est, pro cyatho dicitur. Diuidebatur enim Xestes apud nonnullos Græcos in sex cyathos, sicut cotula seu hemina apud Atticos & Romanos.

DE SICLO

ET TALENTO

HEBRAICO.



SICLVS apud Hebræos idem quod stater apud Græcos, genus nummi & modus ponderis : etiamsi interdum siclus pro pondere simpliciter accipitur, sicut species pro genere.

Dicitur autem siclus à verbo schacal, quod appèdere significat, sicut apud Græcos stater ab *ισαμια*, id est, ab appendendo, vnde & *σατιν*, id est, ratio pōderandi dicta.

Siclus apud Hebræos didrachmi rationem habet, & semisiclus drachmæ. Sicut enim apud Græcos talentum quoduis pro quantitate sui drachmas habet sex millia, & didrachma tria millia; ita apud Hebræos talentum pro magnitudine sui siclos ter mille habet, & semisiclos sexies mille. Vnde Septuaginta siclum sanctuarij didrachmum transferre solent, & semisiclū drachmam, etiamsi sanctuarij siclus drachmas Atticas quatuor appendat, vt Iosephus docet, & semisiclus duas drachmas.

Quod verò talentum Hebraicum tria millia siclorum habuerit, discimus in Exodo, vbi præceptum legimus, vt quando re-

censeretur populus, singuli offerent Domino dimidium siclum. Diues (inquit) nõ addet ad medium siclum, & pauper nihil minuet. Recensiti sunt itaque omnes à viginti annis & supra, & inuentus est numerus illorum sexcenta tria millia virorum, quingenti & quinquaginta viri. Quátum autem argenti contulerint prædictus numerus, habemus scriptũ cap. xxxviii, hisce verbis iuxta translationem Septuaginta, *ἡ ἀργυρίου ἀφαιρέματα παρὰ τῶν ἐπισκευμένων ἀνδρῶν τῆ συναγωγῆς, ἑκατὸν τάλαντα, καὶ χίλιοι ἑπτακόσιοι ἑβδομήκοντα πέντε σίκλοι, δραχμὴ μία τῆ κεφαλῆ τὸ ἡμισυ τοῦ σίκλου κατὰ τὸ σίκλον τὸ ἅγιον. πᾶς ὁ παραπορευόμενος τὴν ἐπίσκεψιν ἀπὸ εἰκοσαετοῦς καὶ ἐπάνω, εἰς τὰς ἑξήκοντα μυριάδας καὶ τρισχιλίους πεντακοσίους πεντήκοντα.* id est, & argenti oblatis ab iis qui recensiti sunt synagogæ viris, fuerunt centum talenta & mille septingenti septuaginta quinque sicli, drachma vna in singula capita, hoc est, dimidium sicli, iuxta siclum sanctum, quotquot à viginti annis & supra recensiti sunt in numerum sexcentorum trium millium & quingentorũ quinquaginta virorum. hætenus Septuaginta. Eundem sensum haberi in Hebræo Lyranus docet. Sic enim ex Hebræo legit: Argentum (inquit) numerationis populi fuit centum centenarij & mille septingenti & septuaginta quinque sicli ad pondus sanctuarij, dimidius siclus per singula capita omnium transeuntium ad numerum à viginti annis & supra de sexcentis tribus milli-

millibus, quingentis, quinquaginta viris, Lyranus sicut & Iudæi non absurdè talentum Hebraicum propter magnitudinem centenarium interpretatur, Polonicè *centnar.* Et vides eundem haberi sensum apud Septuaginta & in Hebræo, nempe argenti collati à sexcentis tribus millibus & quingentis quinquaginta viris fuisse centum talenta & mille septingentos septuaginta quinque siclos, singulis dimidium siclum conferentibus. Nostra autem translatio hoc loco mutilata est, vnde nec sensus idè ex ea elicitur; quo factum est, vt Budæus Hebraici talenti quantitatem, & quot habeat siclos, ignorauerit. Quod utique nisi locus mutilatus fuisset, facile deprehendi poterat. Sexcenta enim millia virorum, singulis dimidium siclum conferentibus, trecenta millia siclorum contulerunt, & tria millia quingenti & quinquaginta viri contulerunt mille septingentos septuaginta quinque siclos. Pro trecentis millibus siclorum scriptura centum talenta dixit, tria millia siclorum haud dubiè pro singulis talentis numerans. Mille autem septingentos & septuaginta quinque siclos, quoniam integrum talentum non efficiunt, ita vt erant, reliquit. Ex hoc igitur euidenti scripturæ testimonio satis, vt puto, constat Hebraicum talentum ter mille siclos continere. Sed adscribemus Lyranus verba, quæ ex Rabi Salomone super hunc locum annotauit. Dicit Rabi Sa-

lomon (inquit Lyranus) quod centenarius continet sexaginta mnas : mna autem sanctuarij duplex erat respectu cōmunis, & sic centenarius continebat centum viginti mnas: & mna viginti quinque siclos, & sic centenarius sanctuarij continebat tria millia siclos. Hactenus Lyranus. De mina sanctuarij & vulgari, inferius videbimus. Interim autem hoc iam tenere debemus, talentum Hebraicum tria millia siclorum continere. Sed & Epiphanius talentum hoc centum viginti quinque librarum pondus habuisse dicit. Libras autem Epiphanius Romanas intelligit, nempe duodenum vnciarum & vnciam octonum drachmarum. Si ergo siclus sanctuarij quatuor Atticas drachmas appendit, sicut Iosephus & Hieronymus docet, vncia vna duos siclos habebit, & duodecim vnciæ, hoc est, libra siclos viginti quatuor efficiet. Atque ita centum viginti quinque libræ efficient tria millia siclorum, sicut supra collegimus. Indubitatum igitur esse debet, talētum Hebraicum siclos ter mille continere, & semisiclos sexies mille, vt semisiclus drachmæ rationem habeat, & siclus didrachmi, sicut Septuaginta transferre solent. Hoc idem fuisse deprehendes apud Græcos, qui Hebraicis etiam ponderibus vsi sunt, sicut inferius patebit; quippe apud Athenienses sicut duplex talentum, ita & stater duplex fuit. Legimus staterem apud Pollucem duarum drachmarum,

rum, quod minoris talenti haud dubiè didrachmum fuit, ex eodem semistaterem, qui & hemiectum dictus fuit, octo obolorum discimus. Vnde sequitur, staterem sedecim obolorum fuisse, quod didrachmū prorsus fuit maioris talenti; tres enim stateres senum denum obolorum efficiunt drachmas senum obolorum octo; & tria millia staterum huiusmodi, nempe maioris talenti, efficiunt octo millia drachmas minoris talenti, hoc est, octoginta minas Atticas: quod pondus talētum maius Atticum habuisse constat. Sed quoniam præter ea quæ diximus, staterē tetradrachmū constat fuisse apud Græcos: scire debemus & talentū, cuius ille stater fuit, non ignotum Græcis fuisse: fac enim talentum habere stateres tetradrachmos ter mille, talentum illud habebit centum & viginti minas, mille enim stateres tetradrachmi quadraginta minas efficiunt, & tria millia staterum ter quadragenas, hoc est, centum & viginti minas. Quod talentum nempe centū & viginti non ignotū fuisse Græcis, constat ex Vitruuio, Hesycho, & Dionysio Halicarnassæo, qui libro nono Romanæ archæologiæ duo millia assium efficere dicit sedecim talenta æris, ἢν δὲ ἀσάριον, χαλκίον νόμισμα, βάρους λίτραίων. erat autem (inquit) assis, æreum numisma, pondus libræ habens. Quod si duo millia assium, seu librarum, sedecim talenta efficiunt, necesse est talētum vnum centum viginti quinque libra-

rum

rum, seu quod idem est, centum & viginti minarum habuisse pondus. Tam igitur apud Græcos quàm apud Hebræos stater, seu siclus didrachmi locum obtinet, pro quantitate eius talenti cuius est stater seu siclus: sicut enim talentum maius ter mille stateres seu siclos habet maiores, ita minus talentum totidem habet minores; quo fit, vt cognita quantitate talenti alicuius, facile & stateris, seu sicli eius quantitas cognoscatur; & contrà, cognita sicli quantitate, & talenti quantitas cognoscitur: vt verbi gratia: Siclus sanctuarij quatuor Atticas drachmas valuit; tria millia igitur siclorum, hoc est, talentum sanctuarij, efficiunt duodecim millia Atticarum drachmarum, quæ sunt centum & viginti minæ Atticæ, seu quod idem est, duo talenta Attica. Talentum igitur sanctuarij duo Attica talenta valuit; sicut & illud, cuius modò ex Dionysio Halicarnassæo & Hesychio mentionem fecimus.

Talentum sanctuarij marcas aurificum nostrorum appendit ducentas triginta duas, & decem sicliquos.

Siclus autem sanctuarij pondus habet sedecim semigrossorum nostrorum. Potest autem æstimari talentum sanctuarij, iuxta æstimationem nostram, Attici talenti & minæ, mille & octoginta aureis Vngaricis. Siclus autem decem octo grossis & tredecim minutis. Sicli igitur & talenti sanctuarij ea quantitas est quam diximus.

Nunc

Nunc ad alios siclos & talenta veniamus.

DE MINORI TALENTO
PUBLICO.

Apud Græcos, qui iisdem etiam, quibus Hebræi, vsi sunt ponderibus, legimus maiora & minora fuisse pondera. Minus talentum apud Græcos ferè semissis fuit maioris: vt verbi gratia, Talentū Atticum sexaginta minas Atticas valens fuit semis talenti centum & viginti minarum, cuius Vitruuius & Dionysius Halicarnassæus meminit; similiter talentū quod apud Plinium taxatur, sedecim sestertiis, hoc est, quadraginta minis, fuit semis talenti octoginta minarum. Ad eundem igitur modū & apud Hebræos talentum minus publicum fuit semis talenti sanctuarij, vnde & siclus huius talenti dimidium pondus habuit sicli sanctuarij, nempe duas drachmas, cū siclus sanctuarij quatuor drachmas valeret. Quod quidem ita esse docet nos auctor libri primi Machabæorum, qui capite decimo in Epistola Demetrii, pro decem millibus drachmarum (sic enim Demetrium hominē Græcum scripsisse discimus ex Iosepho) quinque millia siclorum Hebraico more dixit, binas drachmas pro singulis siclis computando, vnde colligitur talentum publicum dimidium pondus talenti sanctuarii habuisse, sicut & talen-

talentum Atticum sexagenarium. Atque hinc etiam sequitur talentum Hebraicū minus idem fuisse cum Attico talēto, tria enim millia siclorum didrachmorum efficiunt sex millia drachmarum, hoc est, sexaginta minas, semissem videlicet talenti sanctuarij, quod duo talenta Attica, seu quod idem est, centum & viginti minas valuisset diximus. Sed & Rabini testantur siclum & talentum publicum, dimidium pondus sicli & talenti sanctuarij habuisse. Quin & pondus quantum fuerit huius talenti docent, obolum iuxta doctrinam Cabalæ affirmantes habere pondus sedecim granorū hordei, sex obolos efficere drachmam seu denarium, quatuor denarios siclum, viginti quinque siclos minam, sexaginta minas talentum. Atque hæc sunt quæ Rabini tradunt de ponderibus Hebraicis, nempe de talento publico & talento sanctuarij: aliud autem talētum præter hæc duo, nullum sciunt: Nos autem & alia quæ illi ignorant, dicemus. Prius autem monendus est lector, vt perpendat pondera Hebraica quæ hucusque diximus, per omnia cum Græcis conuenire. Nam talentum sanctuarii idem fuit cum talento Græcorum, quod ex Hesychio & Halicarnassæo diximus, centum & viginti minarum fuisse. Siclus quoque sanctuarii eiusdem ponderis fuit cum staterem tetradrachmo Græcorum. Sic talentum publicum idem pondus habuit cum Attico talento

sexa-

sexagenario, & siclus publicus cum statere didrachmo Attico. Atque hæc magis etiã confirmantur ex iis quæ de numismatico talento iam dicturi sumus.

DE TALENTO NUMIS-
MATICO.

Talentum Numismaticum, sicut apud Athenienses, ita & apud Hebræos mille Atticas drachmas valuit, hoc est, sextam talenti publici partem, sanctuarii autem talenti duodecimam. Talia talenta centũ & viginti regina Saba scribitur Salomoni donasse libro tertio Regũ capite decimo. Iosephus enim pro centum viginti talentis auri (auro enim potissimum deputata fuerunt huiusmodi talenta parua) viginti talenta scripsit, sena talenta pro singulis talentis numerans. Quæ parua talenta apparet Ægyptiis quoque fuisse in vsu. Legimus enim apud Cleopatram drachmam fuisse Ægyptiam quæ Attici oboli pondus habuit, vnde sequitur, sex millia drachmarum huiusmodi, hoc est, talentum parvũ mille drachmas Atticas valuisse, sextam videlicet partem Attici talenti, quod cum Hebraico publico idem fuit. Si autem drachma obolum Atticũ valuit, didrachmum seu siclus valuit duos Atticos obolos, quod pondus ferè semissis argentei nostri habet, quem triplicem vocamus. Et talis siclus est sexta pars sicli didrachmi,

te-

tetradrachmi verò duodecima ; eam enim proportionem habet siclus ad siclū, quam talētum habet ad talentum ; vnde duodecim huiusmodi sicli parui valebant siclum sanctuarii, sicut liber Paralipomenon & Regū nos docet. Nam secundi Regum capite vltimo, David dicitur aream extruendo altari & boues in holocaustum emisse quinquaginta siclis : primi autem Paralip. cap. x x i, pro quinquaginta siclis sexcenti leguntur. Cū enim David ad Ornā venisset, dicens, Da mihi locum areæ tuæ vt ædificem in ea altare Domino, ita vt quantum valet argenti, accipias : Orna respondit Dauidi ; Tolle, & faciat dominus meus Rex quodcunque ei placet, sed & boues do in holocaustum & tribulas in ligna, & triticum in sacrificium omnia libens præbebo. Cui David, Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantum valet, neque enim tibi auferre debeo, & sic offerre Domino holocausta gratuita. Postea infertur, Dedit ergo David ipsi Ornam pro loco siclos ponderis auri sexcentos (sic enim translatio Septuaginta habet, & Neoterici nonnulli similiter ex Hebræo transferunt) non aureos siclos, argentum enim datum est non aurum, sicut Regum liber testatur, & hoc loco David argentum promittit, non aurum. Vnde sexcenti sicli dati sunt non aurei, sed argentei sicli ponderis aurei, nempe parui & iuxta pondus auri. Hæc enim minuta pondera propter aurum principaliter insti-

instituta fuerunt, nempe vt talẽtum paruum auri valeret; talentum magnum argenti; & siclus aureus paruus, valeret siclũ argenteum magnum. Hinc enim & nomen talenti & sicli, accepisse videntur hæc parua pondera à valore videlicet: quòd talentum valeret talentum, & siclus siclum. sexcenti ergo parui argẽtei sicli, quinquaginta siclos sanctuarij efficiũt, si quis duodecim paruos pro singulis tetradrachmis numeret. Vnde sequitur ter mille siclos huiusmodi: hoc est, talentum paruum effere ducẽtos & quinquaginta siclos tetradrachmos; seu, quod idem est, mille drachmas Atticas, sicuti diximus, quæ sunt talenti sanctuarii duodecima pars, publici verò talenti sexta: sicut Iosephum etiam diximus computasse.

DE TALENTO MAIORI
PVBLICO.

Talentum publicum non vnum fuisse apud Hebræos probabile est, sicut nec apud alias gentes fuit vnum. Atq; eius rei argumento sunt etiam mensuræ publicæ tam aridorũ quàm liquidorum, quæ apud Hebræos fuerunt, sicut & apud alios maiores & minores; vnde & pondera publica maiora & minora fuisse, credendũ est. Corus maior apud Hebræos decem medimnos Atticos capiebat; minor verò sex, sicut inferius ostendemus, cùm de mẽsuris agemus: eadem proportio fuit maioris bathi ad minorem; vnde colligitur & talentum

E

fui-

fuisse maius; eam proportionem habens ad talentum minus, quam habet maiores mensuræ ad minores. Antiquitus enim nõ solum apud Hebræos, sed & apud alias gētes eadem in ponderibus & mensuris deprehenditur fuisse proportio; vnde si talentum minus sex numismatica talenta capiebat, sicut supra ostendimus, maius talentum capiebat decem: vt maius talentum ad minus eam proportionem habeat, quam corus maior ad minorem habet, & bathus maior ad minorem, hoc est, quam denarius habet ad senarium, quæ proportio superpartiens dicitur. Si ergo talentum publicum minus apud Hebræos valuit Atticum talentum, hoc est, sexaginta minas Atticas seu Romanas; maius talentum similes minas centum valebit, hoc est, talentum Aegineticum. Nam talentum Aegineticum, sicut supra ostendimus, centum Atticas minas valuit, atque ita siclus talenti maioris fuit didrachmum Aegineticum, sicut siclus minoris fuit didrachmum Atticum. Ad hunc igitur modum talentum maius publicum talenti sanctuarij est dextans, eam proportionem habens ad sanctuarij talentum, quam decem habent ad duodecim, & quinque ad sex; eadem proportio erit & sicli ad siclum. Hanc proportionem in ponderibus fuisse apud Babylonios supra diximus; quæ quare instituta sit, dicemus inferius, cum de partibus talenti agemus.

DE TALENTO REGIO.

Postquam igitur de siclo & talento sanctuarij & item de publica maiori & minori diximus; superest, vt de Regio quoq; dicamus. Reges enim apud Hebræos, vt ex Iosepho colligitur, sicut mensuris minoribus, ita & talento minori eodem cum cæteris suæ gentis hominibus vsi sunt. Maius autem talentum peculiare habuerunt, sicut & mensuras maiores; siclus regius dodrans fuit sicli sanctuarij, nēpe tres Atticas drachmas appendens, vt quatuor sicli regij tres siclos sanctuarij efficerent, & quadraginta sicli regij triginta siclos sanctuarij, sicut ex Iosepho colligitur, qui libro tertio antiquitatum talentum sanctuarij centum minarum fuisse dicit, triginta siclos tetradrachmos, haud dubiè pro singulis minis computas. Septimo autem libro eiusdem operis de Absalonis coma scribens, quam Absalon stans temporibus tondere consueuerat ducentos siclos appendentem iuxta siclum regium (sic enim in Hebræo & apud Septuaginta legitur) Iosephus cum dixisset pondus comæ Absalonis fuisse ducetos siclos addit, quæ sunt quinque minæ, quadragenos siclos regios numeras pro mina, vt quadraginta sicli regij efficiant minam triginta siclos sanctuarij appendentem, quæ plane eadem fuit cum Babylonica mina, centum & ^{triginta} drachmarum Atticarum pondus habens. Sic igitur siclus regius dodrans fuit sicli sanctuarii, & per consequens

talentum regium talenti sanctuarij fuit do-
drans, sesquiplam habens proportionem
ad talentum minus, sicut siclus triú drach-
marum sesquiplam proportionem habet
ad siclum didrachmum. Quæ proportio
& in mensuris deprehéditur. Bathus enim
regius maior sesquibathum minorem ca-
piebat, vt postea ostendemus. DE siclo
igitur & de talento sanctuarij, & item pu-
blico & regio, hæc dicta sunt.

Nec est quod quispiam miretur tá mul-
ta talenta apud Hebræos fuisse; constat
enim Græciæ ciuitates singulas nõ vno ta-
lento fuisse vsas: quota autem pars amplif-
simi regni Hebræorum fuit vna Græciæ
ciuitas? Deinde illud etiam perpendere
conuenit sacris litteris historiam multorú
millium annorum contineri, tempus au-
tem multa nouare solet; vnde nec mirum
videri debet, si qua tanto tempore varietas
ponderum nata est. Antiquissimum talen-
tum apparet fuisse quod sanctuarij talen-
tum dicitur, idéque perfectissimum; quip-
pe reliqua talenta huius partes sunt, & ex
hoc nata videntur. Talentum enim publi-
cum minus est semis talenti sanctuarij, si-
cut diximus: maius autem dextans, regiú
verò est dodrans: vt si quis talentum He-
braicum vnum esse dicat sanctuarij talen-
tum, reliqua autem huius partes appellet,
is à vero nihil aberrare videatur. Hinc &
Septuaginta siclum talenti sanctuarij di-
drachmum sæpe trásferre solent: reliquo-
rum

rum autem siclos, tanquam huius partes & minutias didrachmi vocabulo non dignatur: sed minoris quidem talenti publici siclum drachmam, reliquorum autem siclos tantum vocant: vnde colligitur antiquissimis temporibus, hoc est, Abrahæ, Isaac, & Jacob, talentum quod sanctuarij dicitur apud Chananæos fuisse in vsu, quippe siclos temporis illius; Septuaginta interpretantur didrachma & beca, id est, semisiclum, drachmam. Reliqua talenta posterius nata videntur. Regium verò apud Hebræos sicut & mensuræ regiæ, simul cum regibus & orta & extincta videntur, nec illorum ante reges & post reges mentio fit vsquam. Maius talentum publicum idem vsus peperit, qui & talenti partes, nempe decimas & duodecimas, & item quintas & sextas, de quibus paulò post dicemus. Minus autem talentum, hoc est, semis sanctuarij talenti apud Hebræos ita natum videtur, sicut aliæ quoque gentes successu temporis pondera sua diminuerunt, ita vt pro talento haberent, quæ olim fuerunt semisses talenti: quemadmodum apud Siculos talentum fuit antiquum viginti quatuor nummi, posterius autem duodecim nummi: et apud Athenienses talentum fuit olim octoginta minarum, posterioribus autem temporibus quadraginta minarum, sicut Plinius testis est, apud quem talentum Atticum sedecim sestertiis æstimatur, sedecim enim sestertia quadraginta minas efficiunt. Pro-

gressu verò temporis semisses rursus sunt dimidiatae, ita vt posterioribus téporibus talentum esset apud Græcos semissis dimidium, hoc est, quadrans talenti, vnde apud Suidam talentum dicitur moderna quatuor, & Iulius Pollux, qui libros suos Commodo Cæsari dicauit, Syrium talétum dicit mille quingentas Atticas drachmas valere, qui plane est quadrans Attici talenti sexagenarij.

DE TALENTO ÆGYPTIO.

Sed quoniam in sacris litteris Ægyptij sicli fit mentio, necesse est vt de Ægyptio quoque siclo & talento non nihil dicamus. Talentum igitur Ægyptium cõstat ex Plinio octogenarium fuisse; octoginta enim pondo seu minas capiebat: quod pondus etiam Attici & Euboici taléti maioris fuit, vnde necesse est siclum talenti huius sedecim obolorum Atticorum pondus habuisse. Tres enim huiusmodi sicli efficiunt octo drachmas Atticas, & per consequens talentum, hoc est, tria millia siclorú huiusmodi, efficiunt drachmas Atticas octo millia. Quare apud Athenienses qui hoc talento pro maiori vsu sunt, stemiſtater fuit, qui & hemiectum dicebatur, octo obolorum, vt ex Iulio Polluce discimus. Quod si semistater fuit octo obolorum, necesse est stateré sedecim obolorum fuisse; vt stater Atticus idem habuerit pòdus cum siclo Ægyptio, sicut & talentum Atticum idem cum Ægyptio fuit.

DE DIVISIONE TALENTI.

Talentum apud Hebræos diuiditur in decimas & duodecimas. Decimæ rursus diuiduntur in alias decimas, hoc est, centesimas, & centesimæ in millesimas. Dicitur autem talentum & decima talenti & centesima & millesima. De decima exemplū extat primi libri Paralip. capite vigesimo secundo, vbi David ad Salomonem ita loquitur: Ego in paupertate præparavi impensas domus Domini, auri talēta centum millia & argenti mille millia: hoc loco talenta parua intelliguntur, nempe talenti decimæ, sicut Iosephus libro antiquitatū vii. indicat, qui pro centum millibus decē millia talētorum auri scripsit, & pro mille millibus centum millia talentorū argenti, dena talēta pro singulis numerans. De cētesima autē habetur quarti Regum capite vigesimo tertio, vbi rex Ægypti multasse terram Iudæorum scribitur centum talentis argenti & centum auri. Sic enim trāslatio Septuaginta habet. Hoc idē autē secundi Paralipomenon vltimo, ita scribitur, Et condemnauit terram centum talentis argenti & talento auri. Non igitur dubitare debemus, in superiori exemplo centum talenta auri parua talenta intelligenda esse, hoc est, centesimas talenti; quādoquidem pro illis talentis alio loco talentum vnum scribitur. De millesima ex sacra scriptura testimonium proferre nō possumus. Sed Iulius Pollux docet fuisse apud

Athenienses talentum auri tres stateres didrachmos; quæ prorsus est millesima pars Attici talenti, quod idem cum Hebræorū publico talento minori fuit. Idem auctor docet Siculum talentum viginti quatuor nummos fuisse, nummum autem valuisse sesquibolum, nempe sestertium Romanum, vnde viginti quatuor nummi sex drachmas efficiunt, millesimam videlicet talenti Hebraici, seu Attici, quod idem est. Nec mireris tam multiplicem talenti acceptionem apud Hebræos antiquitus fuisse; fuit enim & apud Græcos hoc idem; etiam si posterioribus temporibus sicut & apud Hebræos ambiguitas vocis huius restricta sit. Hac enim de causa Aristoteles scripsit talenti pondus indefinitum antiquitus fuisse. Decima talenti sunt trecenti sici. Centesima verò triginta sici. Millesima autem tres sici maiores & minores pro quantitate cuiusque talenti. Quod autem & duodecima talenti dicatur talentum, patet ex eo quod superius de numismatico talento diximus, quod minoris quidem talenti est sexta pars, sanctuarij autem talenti est duodecima. Diuiduntur autem duodecimæ in decimas, & decimæ rursus in alias decimas, quæ ad decimarū decimas; hoc est, ad centesimas talenti & millesimas eam proportionem habent, quā ipsæ duodecimæ habent ad talenti decimas. Sic igitur talentum in decimas & duodecimas diuiditur. Est præterea & altera diuisio talenti

ti in quintas & sextas. Sexta talenti sunt duæ duodecimæ: & quinta talenti sunt duæ decimæ. verbi gratia: Quinta talenti sanctuarij sunt sexcēti sicli tetradrachmi, & huius decima sunt sexaginta sicli, quæ est sanctuarij mina, triginta vncias Romanas appendens: seu quod idem est duas libras & semissem; sicut Iosephus scribit libro antiquitatū quatuordecimo, & Kimchi apud Hebræos. Decima autem huius sunt sex sicli, qui dicuntur siclus, vt inferius dicemus. Sexta verò talenti sanctuarij, eadem est cum quinta publici talenti maioris, nempe quingēti sicli tetradrachmi, & huius decima quinquaginta sicli, mina videlicet sanctuarij, sicut Rabbi Salomon docet, cum dicit vulgarem minam viginti quinque siclos; sanctuarij autē minam duplo maiorem, nempe quinquaginta siclos. Duplex enim fuit mina sanctuarij, vt apparet: sicut & publica mina fuit duplex. Decima autē huius sunt quinque sicli, qui & siclus dicuntur, vt paulò post ostendemus.

Itidem publici talenti, quod est semis talenti sanctuarij quinta pars, sunt sexcenti sicli didrachmi, hoc est, trecenti sicli sanctuarij; ad hos enim tanquam principales minores sicli reducendi sunt. Quinta igitur publici talenti minoris sunt trecenti sicli tetradrachmi, quæ planè est decima talenti sanctuarij. Decima enim illius est quinta huius: sicut duodecima illius est

huius sexta. Hac quinta Persæ vsi sunt pro talento numismatico. Constat enim ex primo Anabeseos Xenophontis, talentum numismaticum fuisse apud Persas trecentorum Daricorum. Daricus autem sicli sanctuarij pondus habuit, vt videre est apud Iosephum, qui libro antiquitatum tertio decem siclos auri iuxta siclum sanctuarij, decem Daricos interpretatus est. Quod quidem talentum trecentorum siclorum apparet Babylonios ab Hebræis mutuatos esse; vna cum taléto minore publico, quod semissem talenti sanctuarij esse diximus, quod Persis etiam in vsu fuit; sicut auctor est Herodotus, qui & Euboicum illud vocat, eò quòd cum Euboico minore idem pondus habuit. Quinta pars ergo Hebraici talenti minoris sunt trecenti sicli sanctuarij, talentum paruum Persis etiam, sicuti diximus, vsitatum; cuius siclus duos obolos Hebraicos appédebat: quam enim proportionem talentum habet ad talentum, eam & siclus ad siclum habeat necesse est. Vnde quoniam hoc talentum est quinta pars publici talenti minoris, siclus quoque eius quintam partem sicli didrachmi habebit; hoc est, duos obolos Hebraicos. Siclus enim sanctuarij viginti obolos habuit Hebraicos & semis huius, hoc est, siclus publicus decem obolos; quinta autem pars de decem' st duo: duos itaque obolos Hebraicos habuit hic siclus. Decima talenti trecentorum siclorum tetradrach-

mo-

morum, sunt triginta sicli, quæ fuit mina Hebraica; sicut Iosephus indicat, cum dicit talentum Hebraicum, nempe sanctuarii, esse centum minas, tricenos siclos haud dubiè pro singulis minis computans. Triginta sicli tetradrachmi cētū viginti drachmas Atticas efficiunt; quod pondus etiam Babylonica mina habuit. Hæc antiquitus talentum etiam vocabatur, cum talenti sanctuarij esset cētesima. Mina autem seu mna, vt Græci dicunt, vox est Hebraica, non Græca nec Latina, & significat partem; id quod non ignorant, qui Hebraicas litteras saltem à limine salutarunt. Decima autem huius sunt tres sicli tetradrachmi, sex videlicet sicli didrachmi, qui & siclus dicti sunt. Porro sexta pars talenti publici minoris sunt quingenti sicli didrachmi; tetradrachmi verò ducenti quinquaginta sicli; talentum illud numismaticum, de quo supra diximus, aureo numismati potissimum deputatum, sicut & illud quo Babylonij vsi sunt trecentorum siclorum, seu Daricorum. Vnde & sicli argētei talenti huius sicli ponderis auri dicuntur, sicut supra ostendimus. Hoc talentū cum sit sexta pars minoris talenti publici, maioris publici est decima; sicut illud trecentorum siclorum, est sanctuarij talēti decima. Siclū huius talenti diximus duos obolos Atticos habuisse, sicut illius trecentorū siclorū talēti siclus duos obolos habuit Hebraicos. Decima autē huius talenti sunt viginti quinque;

sikli

sicli tetradrachmi, mina videlicet altera publica eadem cum Attica mina; viginti enim & quinque sicli tetradrachmi centum drachmas Atticas efficiunt, hoc est, Atticam minam. Hæc talentum antiquitus dicta fuit, cum sit maioris talenti publici centesima pars. has minas auctor libri primi Machabæorum intellexit, capite quatuordecimo, cum scribit Clypeum aureum, quem Simon Hebræorum dux Romanis misit, fuisse minarum mille; sicut patet ex decreto Romano, quod apud Iosephum extat libro antiquitatum quatuordecimo; in quo decreto clypeus ille quinquaginta millium aureorum fuisse dicitur.

Quinquaginta enim millia aureorum Romanorum cum singuli duas drachmas appendant, mille Atticas minas centenarum drachmarum efficiunt, quæ sunt Hebraicæ minæ vicenum quinum siclorum. Decima huius minæ, sunt duo sicli tetradrachmi & semis, hoc est, quinque didrachmi sicli qui & siclus dicuntur primo libro Machabæorum, sicut inferius ostendemus.

2

<p>Talentum minus publicum 3000 sicli didrachmi, 1500 tetradrachmi, cuius</p>	}	Decima 300. sicli didrachmi. 150. tetradrachmi.	}	<p>Decima 30. didrachmi, 15 tetrach.</p>	}	<p>Decima tres didrachmi.</p>										
		Duodecima 250. didrachmi 125. tetradrachmi.					Decima 25. didrachmi.	}	<p>Decima duo & semis didrachmi.</p>							
		Quinta 600. didrachmi, 300 tetradrachmi					}			<p>Decima 60. didrachmi, 30 tetradrachmi.</p>	}	<p>Decima 6. didrachmi.</p>				
		Sexta 500. didrach, 250. tetradrachmi											Decima 50. didrachmi, 25. tetradrachmi.	}	<p>Decima 5. didrachmi.</p>	

1

<p>Talentum sanctuarij ter mille sicli tetradrachmi, cuius</p>	}	Decima trecenti sicli.	}	<p>Decima triginta sicli.</p>	}	<p>Decima tres sicli.</p>												
		Duodecima ducenti quinquaginta sicli.					}	<p>Decima viginti quinq; sicli.</p>	}	<p>Decima duo sicli et semis.</p>								
		Quinta sexcenti sicli.									}	<p>Decima sexaginta sicli.</p>	}	<p>Decima sex sicli.</p>				
		Sexta quingenti sicli.													}	<p>Decima quinquaginta sicli.</p>	}	<p>Decima quinque sicli.</p>



Ad eum modum & alia talenta diuidi possunt.

Talis autem diuisio talenti & aliis fortè de causis instituta est, & quòd vnus & eiusdem metalli non eadem cuiuslibet nota sit; vnde institutum videtur, vt auri obryzi sexta, auri non obryzi quintæ responderet æstimatione, & duodecima decimæ, & itē decimæ decimis quæ ex iis nascuntur. Et alioqui magnam commoditatem habuit huiusmodi diuisio talenti. Decima enim auri vel duodecima pro qualitate metalli, videlicet valuit talentum argenti, vnde & talenta sunt dictæ decimæ & duodecimæ, quòd videlicet talentum argenti valerent. Itidem parui talenti decima, hoc est, mina auri, valuit paruum talentum argenti, proinde & talentum quoque fuit dicta; quia talentum argenti valuit. Rursus decima minæ, hoc est, quinque sexve sicli auri, minam argenti valuit, & ob hoc millesima talenti dicta fuit talentum, quod videlicet talentum, nempe minam argenti valeret. Siclus autem auri qui fuit dimidio minor quàm argenti decimam minæ, hoc est, quinque sexve argenti siclos valuit. Hinc quinque sexve sicli argenti siclus etiam dicti sunt, quòd siclum auri valerent, sicut inferius ostendemus.

Porro quintæ & sextæ talenti institutæ videntur, vt eam proportionem ad decimas & duodecimas haberent, quam talentum

tum argenti habet ad talentum auri, vt videlicet decima aut duodecima auri sexcuplex aut quinctuplex, sit ad quintam sextamve argenti.

DE SICLO ET TALENTO

AURI.

Siclus aureus apud Chananæos & Hebræos dimidio fuit minor quàm argenteus; sicut apud Græcos aureus nummus fuit dimidio minor, quàm argenteus, quippe stater aureus apud Græcos, fuit didrachmus; argenteus verò, tetradrachmus. Item aureus qui hemiectum dictus est, octo obolorum pondus habuit, idem & semistater fuit dictus, quòd videlicet stateris argentei dimidium pondus haberet. Ad eundem igitur modum & apud Hebræos siclus aureus dimidio fuit minor quàm argenteus: vnde apud Esdram aurum non ad siclos, sed ad drachmas iuxta veterem consuetudinem computatur, quòd videlicet drachma, seu semisiclus auro esset deputatus, sicut argento siclus. Et Genesis vigesimo quarto iuxta translationem Septuaginta ita scriptum legimus. *καὶ ἔλαβεν ὁ ἄνθρωπος δύο ἐνώτια χρυσᾶ ἀνὰ δραχμὴν ὀλκῆς, καὶ δύο φέλλια ἐπὶ τὰς χεῖρας αὐτῆς. δέκα χρυσῶν ὀλκὴ αὐτῷ.* id est, **Et accepit homo ille in aures aureas:**
quæ

quæ singulæ drachmam appendebant, & duas armillas, quarum fuit pondus decem aurei. Hactenus Sept. Duæ inaures habuerunt pondus duarum drachmarum seu semisiclorum; potuit ergo dici inaures aureas, quarum pondus fuit siclus. Sed scriptura iuxta receptam consuetudinem aurum ad semisiclos potius quàm ad siclos computat. Vt intelligamus etiam in sequentibus cum dicit decem auri, sic enim habetur in Hebræo, pro quo, Septuaginta transtulerunt decem aureos, vt, inquam, decem aureos seu decem auri intelligamus decem drachmas auri, seu decem aureos drachmales; nempe drachmæ, seu semisicli pondus singulos habentes. Nostra autem translatio pro drachmis seu semisiclis, exponit siclos: vnde colligitur auctorem translationis illius non ignorasse, quod siclus aureus dimidio minore esset, quàm argenteus. Neq; enim pro beca, quæ vox significat semisiclum trstulisset, siclum, nisi sciret siclum auri semisicli pondus habuisse. Aureus enim nummus quatenus argentei sicli dimidium pondus habet, semisiclus dicitur; quatenus verò proprium pondus iustum ac integrum habet, dicitur siclus. Vnde & quinque sexve argentei sicli dicuntur, siclus à valore, nempe quod siclum auri valerent, valere autem non possent, nisi duplo essent maiores quàm siclus auri. Secundi Regū capite decimo octauo scribitur quidam venisse ad Ioab dicens: Vidi
Ab-

Abfalonem pendere de quercu. cui Ioab, Si vidisti, quare non confodisti eum, & ego tibi dedissem decem argenti? sic enim habetur in Hebræo, subaudita voce, siclos, ut sit decem argenti siclos. Est enim huiusmodi loquutio vsitata, & passim obuia in scriptura. Septuaginta autem & Iosephus hoc loco pro decem argenti siclis, transtulerunt quinquaginta siclos, quinque siclos pro singulis siclis computantes, eo quod quinque sicli argenti dicuntur siclus. Annotauit hoc etiam Suidas, nescio ex quo auctore, nempe siclum argenteos quinque dici apud Mosen. Locus autem, quem designasse videtur Suidas, extat Genesis tricesimo septimo, ubi Ioseph dicitur venditus viginti argenti, hoc est, viginti siclis argenti, pro quo Septuaginta transtulerunt viginti aureis, ut intelligamus viginti argenti ita dictum esse sicut apud nos viginti aurei monetæ dicuntur. Sic enim vernaculo sermone nostro dicere consueuimus, cum non aureos, sed aureorum pretium volumus designare. Quondam enim aureus Vngaricus apud nos triginta grossis permutabatur ex Casimiri etiam constitutione, unde triginta grossi etiamnum aureus vocantur a valore, quod videlicet aureum valerent. Ad hunc igitur modum viginti argenti accipiemus hoc loco pecuniam argenteam viginti aureos valentem, nempe centum siclos argenteos; viginti enim sicli centum argenteos efficiunt, si

quis singulos siclos pro pretio aurei accipiat, hoc est, pro quinque argenteis siclis. Quod si quis viginti argenti pro viginti aureis accipiat, ex pretio aureorum aureos ipsos designatos credens, cum hoc non contendemus, præsertim cum apud Græcos qui iisdem cum Hebræis vsi sunt ponderibus, exemplum huius rei reperitur. Aureus enim nummus apud Græcos non nunquam pretij vocabulo designabatur, sicut apud Athenienses semistateres aurei vocabantur tetrastateres, quòd videlicet quatuor stateres valerent. Quamquam propriè illi aurei (vt hoc quoque admoneam) à pretio non tetrastateres, sed hexastateres dici deberēt, singuli enim semistateres aurei octonum obolorum, sex stateres argenteos senum denum obolorum valebant, sicut apud Hebræos siclus aureus, quinque sexve argenteos. Hinc enim hemiecta quoque dicebantur huiusmodi aurei, sicut supra ostendimus. Verùm quoniam stateres tetradrachmi magis fuerunt in vsu Atheniensibus, & quatuor tetradrachmi tantundem efficiunt quantum sex senum denum obolorum, factum est vt tetrastateres magis dicerentur. Sed viginti siclos argenti quibus Ioseph venditus est, siue pretium viginti aureorum intelligas, siue viginti aureos, parum refert cum vtrumque idem valeat. Extat alter locus in Genesi, quem Suidas etiam designasse videri possit, cum dicit
apud

apud Mosen siclum dici quinque argenteos, nempe quadragesimo quinto capite; ubi Ioseph in Ægypto scribitur donasse fratri suo Benjamin trecentos argenti. Septuaginta enim ad eundem modum transfulerunt, trecentos aureos. Alias autem hoc genus locutionis, Septuaginta variè solent transferre: verbi gratia; si in Hebræo scriptum sit decem argenti; Septuaginta si simplices sicli intelliguntur, transferunt decem argenteos per adiectivum, vel decem siclos argenti per substantivum, addita voce, siclos: si verò sicli pro pretio aureorum accipiuntur; Septuaginta interdum quinquaginta sexaginta siclos pro decem siclis interpretabuntur, nonnunquam ἀργυρίου, id est, argenti siue argentæ pecuniæ transferent per substantivum ommissa voce, siclos, sicut Iudicum decimo octavo, quæ differentia in Hebræo non reperitur. Hebræi enim semper per substantivum offerunt, qualescunque sicli intelligantur, decem argenti, viginti argenti, vel addita voce, siclos, viginti siclos argenti &c. Septuaginta autem, vt dixi, discrimen facere solent. Quod & Tzetzes vir multiplicis eruditionis non ignoravit, qui in varia Historia, pro eò quod est Iudicum sedecimo iuxta translationem Septuaginta, mille & centum argenti interpretatus est, χρυσούς χιλίους ἑκατόν, id est, mille & cētum aureos. Intelligebat Tzetzes aliud esse mille & cētū argēti, aliud mille & centū argētei.

Quòd autem sicles aureus quinque argenteos valeret, in Hesychij quoque collectaneis legimus his fere verbis. Drachma (inquit) auri est pondus numismatis ad rationem argenti didrachmorum decem, *Δραχμή χρυσίου, ὀλίγη νομίσματος εἰς ἀργυρίου λόγον διδράχμων δέκα.* Quæ quidem verba, vt apparet, ex scriptore quopiam Ecclesiastico annotata sunt, sicut & alia pleraque multa. Drachma enim Hebraica quæ apud Mo- sen beca, apud Esdram verò darcmon, dicitur. Septuaginta autem, sicuti diximus, drachmam transferre solent, est sicles auri, nempe minoris talenti publici sicles, semis sanctuarii sicles. Hæc, inquam, drachma auri, ad rationem argenti efficit decem didrachma Græca, hoc est, quinque sicles tetradrachmos. Quod autem & sex sicles argenteos valuerit aureus, potest probari ex translatione septuaginta, qui tertii Regum capite decimo, pro sexcentis argenteis, transfulerunt, centum argenti. Egrediebatur Salomoni ex Ægypto *ἄρμα ἀντ' ἑκατὸν ἀργυρίου*, id est, currus pro centum argenti: hic enim centum argenti, hoc est, pretium centum aureorum, sexcenti argentei sunt, non quinquaginta; vnde arguitur aurei pretium fuisse sex argenteos sicles, vt proportio auri ad argentum fuerit duodecuplex; sex enim sicles argentei cum sint aureis duplo maiores, duodecies appendunt aureum: quam auri ad argentum analogiam apud Græcos etiam fuisse arguitur

guitur, ex eo quòd semistater aureus octo obolorum sex argenteos stateres senum denum obolorum valebat, hoc est, quatuor stateres tetradrachmos. Quod autem decuplex quoque fuerit proportio auri ad argentum, docet Pollux ex Menandro; quod tamen non de Obryzo, sed de inferioris notæ auro intelligendum est. Sicut & apud Hebræos non vnus notæ fuit aurum. legimus enim aurum optimum, aurum purissimum in sacris litteris, ad differentiam vtique auri non perinde probati. Item aurum Arabicum, aurum Ophir, ad differentiam auri ex aliis regionibus non perinde boni; vnde si auri probatissimi siclus valuit sex argenteos siclos, iuxta auri ad argentum duodecuplicem proportionē, siclus auri inferioris notæ potuit quinque siclos argenteos valere iuxta decuplicem auri ad argentum analogiam. Sicut autem siclus auri ad argentum fuit sexcuplex & quincuplex, sex enim & quinque argenteos vnus auri siclus valuit; ad eundem modum & talentum auri ad talentum argenti fuit sexcuplex, sicut Suidas in dictiōe Obolus annotauit, & quincuplex, sicut ex Hesychio discimus, qui talenti meminit quadringentarum minarum. Quadringentæ enim minæ efficiunt quinque talenta Ægyptia seu Attica octogentarum minarum: vnde etiam discimus quòd sicut siclus dicitur & argenteus vnus, & quinque sexve argentei, hoc est, sicli auri

pretium. Ita talentum dicitur non solum vnum simplex talentum, sed & quinque sexve talenta, nempe talētiauri pretium. Quoniam ergo siclus auri ad argenteum siclum, sexcuplex & quincuplex est, & itē talentum auri ad talentū argenti est quincuplex & sexcuplex, necesse est siclum & talentum auri dimidium pondus sicli & talenti argenti habuisse, vt auri ad argentum sit proportio decuplex & duodecuplex. Præter decuplicem autem & duodecuplicem proportionem inuenitur & tertia, medium inter has duas locum obtinens, nempe quæ est vnus ad vndecim. Id ita esse docet nos liber Iudicum capite decimo septimo, vbi filius promittit se matri pecuniam restituere velle, mille videlicet & centum argenteos, *χλίους κ̄ εκατόν ἀργυρίους*, ita enim Septuaginta trāstulerunt per adiectiuum, quòd simplices ibi sicli intelligantur. Ceterum ne *promissæ* tantum putetur additur, *κ̄ ἀπέδωκε πρὸς χλίους κ̄ εκατόν ἀργυρίους τῇ μητρὶ αὐτῆς*, id est, Et reddidit mille & centū argenteos matri suæ. Et rursus idem ita vt mos est scripturæ repetitur, *κ̄ ἀπέδωκε τὸ ἀργύριον τῇ μητρὶ αὐτῆς, κ̄ ἔλαβεν ἡ μήτηρ αὐτῆς διακοσίους ἀργυρίου*, id est, & reddidit pecuniam illam matri suæ, & accepit mater eius ducentos argenti. Hic ducentos argenti per substantiuum septuaginta trāstulerunt, non ducentos argenteos, propterea quòd ducenti argenti, pro mille & centum argenteis siclis accipiantur: eadem enim summa quæ prius

promissæ

prius mille & centum argentei vocabatur, nunc ducenti argenti dicuntur. faciunt autem ducenti argenti mille & centum argenteos : si quis singulos siclos non pro quinque siclis, nec pro sex siclis, sed pro quinque & semisse accipiat, in undecupla auri ad argentum proportione, quam mediam inter decuplicem & duodecuplicem esse diximus. Ita intelligendum est, quod eodem libro scriptum est, capite sedecimo de pecunia quam Philistinorum Satrapæ promiserunt Dalilæ meretrici, quâ Samson amavit. Decipe, inquit, eum, nempe Samsonem, & disce ab illo in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum superare valeamus, & vincitum affligere : quod si feceris, dabimus tibi singuli mille, & centum argenteos. Lyranus admonet Satrapas Philistinorum fuisse quinque, & singulos mille & cētum argenteos promississe. Proinde summam promissæ pecuniæ dicit esse quinque millia & quingentos siclos, quæ summa *χλίους ἀργυρίου*, id est, mille argenti efficit in undecupla proportione, vel *χλίους ἀργυρίου*, id est, mille & centum argenti in decupla, sicut Septuaginta transiulerūt, *καὶ ἡμεῖς δώσομεν σοὶ χλίους καὶ ἑκατὸν ἀργυρίου*, Et nos dabimus tibi mille & centum argenti: sed hæc hæctenus.

Antiquissimis ergo temporibus siclus argenti & talentum argenti fuit, quem siclum sanctuarij & talentū sanctuarij scriptura vocat; auri verò siclus & talentum

fuit semis sicli & talenti sanctuarij. Posterioribus verò temporibus, qui fuit siclus auri, cœpit esse & argēti siclus; & quod fuit talentum auri, cœpit esse & argenti: quo factum est rursus, vt postquã siclus argenti didrachmus cœpit esse, siclus etiam auri dimidio minor, id est, drachmalis factus sit, vnde centum aurei drachmales minam efficiebant centum drachmarum, sicut historia sacra testatur. Nam secundi Paralipomenon capite nono scribitur Salomon fecisse trecenta scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta. Tertij autē Regum capite decimo pro trecētis aureis, legimus tres minas in Hebræo & in trãslatione Septuaginta & apud Iosephum. Quod si trecenti aurei drachmales essent, Iosephus Græcè loquendi obseruatissimus non tres, sed sex minas dixisset, aut saltem minæ interpretationem addidisset. Tempore igitur Salomonis siclus auri præter didrachmum fuit etiam drachmalis: non enim propter minorem maioris vsus penitus abolitum fuisse arbitrari debemus, sed præter minora pondera etiam maiora in vsu fuisse credendum est. Talē autem ponderum diminutionem etiam apud alias gentes fuisse diximus. Siculum enim talentum antiquum quidem fuit viginti quatuor nummorum, posterioribus verò duodecim nummorum, & apud Athenienses talentum octogenarium posterioribus temporibus dimidio minus factum

didrachmales

Etum est, nempe quadraginta minarum. Progressu autem temporis, & hoc rursus est dimidiatum, vt quadrans talenti esset talentum. Hinc enim apud Suidam talentum dicitur moderna quatuor, & apud Pollucem legimus Syrium talentum fuisse mille & quingentarum drachmarum qui est planè quadrans Attici talenti. Sed locum Suidæ, cuius iam aliquoties fecimus mentionem, adscribemus: *τάλαντον* (inquit Suidas) *τοῦ ἀργυρίου τῶν νῦν τέσσαρες ἢ νομισματος ἢ ἕξ* *ς. ἢ δὲ μὲν ἐξήκοντον ἐστὶ τοῦ ταλάντου, τοῦ χρυσοῦ ἐξαπλάσιον ἐστὶ.* id est talentū argenti, sunt moderna quatuor & numismatica octo & sex, mina verò sexagesima pars talenti, auri autem talentum est sexcuplex. Siclus ergo antiquissimis temporibus argenteus quidem fuit tetradrachmus, aureus verò didrachmus. Posterioribus verò temporibus argenteus etiam didrachmus & aureus drachmalis etiam fuit: vnde quod scribitur Genes. xx. xvi. Ioseph venditus esse viginti siclis argenti, intelligemus vel viginti aureos didrachmos, vel pretium viginti aureorum didrachmorū, nempe centum siclos tetradrachmos. Machabæorum autem libri primi cap. x. quindecim millia siclorum argenti accipiemus, pro pretio quindecim millium siclorum auri drachmalium. Iosephus enim pro quindecim millibus siclorum scripsit quindecim Myriadas, hoc est, centum & quinquaginta millia drachmarum, decem drachmis, quæ

quinque siclos efficiunt, pro singulis siclis computatis. Ad eundem modum Genesis XLV. vbi Ioseph scribitur fratri suo Benjamin donasse trecentos argenti, intelligemus vel trecentos aureos octonum obolorum, vel trecentorum huiusmodi aureorum pretium, nempe mille & quingentos siclos Ægyptios senum denum obolorum. Tertij autem Regum cap. x. vbi pretium equorum legitur, qui Salomoni ex Ægypto adducebantur, currus pro centum argenti, & equus pro quinquaginta argenti, sic enim transtulerunt septuaginta, intelligere debemus centum argenti pretium centum aureorum quaternorum obolorum, nempe sexcentos siclos argenti Ægyptios octonum obolorum, non quòd Ægyptium numisma apud Hebræos cudere-tur, sed quòd importato numismate Ægyptio Hebræi vterentur, & in contractibus cum Ægyptiis, rationibus & ponderibus vterentur Ægyptiorum. Probabile est enim hæc Hebræis vtitatissima fuisse propter vicinitatem vtriusque regni, & contractus qui inter finitimos frequentes fiunt, præsertim cum necessitudo etiam ex connubio regum Hebræis tunc intercesserit cum Ægyptiis. Ægyptius siclus habuit pondus, sicut diximus, sedecim obolorum Atticorum; aureus autem siclus dimidio minor fuit, nempe octo obolorum: qualem fuisse apud Athenienses ostendimus, qui talento Ægyptio nempe octogenario etiam vti sunt.

sunt. Posterioribus autem temporibus siclus, ut apparet, apud Ægyptios dimidio minor factus est, sicut & apud Hebræos, ut argenteus esset etiam octo obolorum, aureus verò etiam quatuor obolorum, nostri ferè argentei què triplicem vocamus pondus habens: quod pondus etiam habuit siclus talenti parui, nempe sextæ partis talenti sanctuarij. Tales autem aureos fuisse apud Athenienses probabile est. Hinc enim videtur tetraobolum pro pretioso accipi. τετράβολον Suidas interpretatur πολυτίμητον, id est, magni pretij. Alioqui quatuor oboli pro vili pretio accipiuntur, ut videre est apud Erasmum in Chiliadibus: fuisse autem siclum quatuor obolorum etiam Phavorinus Camertes nescio ex quo auctore annotavit. Cùm igitur dicitur currus pro centum argenti, pretium centum aureorum quaternorum obolorum intelligemus, hoc est, sexcentos siclos argenteos octonum obolorum, quos Iosephus propter parvilitatem drachmas vocavit. Sunt enim huiusmodi sicli drachmæ talenti Ægyptij octogenarij Atticis drachmis maiores, Æginecticis verò minores. Sic enim legitur apud Iosephum. Constituit autem Salomon (inquit) & mercatoribus Ægyptiis, ut adducetes venderent sibi currum cum duobus equis sexcentis drachmis argenti. Septuaginta autem, sicuti diximus, transfulerunt: Egrediebatur ex Ægypto ἄρμα ἀνθ' ἑξα-
 ἴκοντα ἀργυρίου καὶ ἵππος ἀντὶ πενήκοντα ἀργυρίου, id est,
 cur-

currus pro centum argenti, & equus pro
 quinquaginta argenti. Centum argenti
 igitur pretium centum aureorum quater-
 norum obolorum intelligemus sexcentos
 videlicet argenteos siclos octonum obolo-
 rum. Alioqui si centum argenti hoc loco
 accipias pro pretio centum aureorum He-
 braicorum, qui drachmæ Atticæ pondus
 habuerunt, aut Ægyptiorum, qui octonos
 obolos appendunt, reclamabit Iosephus :
 non enim centum huiusmodi aureorum
 pretium essent sexcentæ drachmæ, sed
 mille & ducentæ. Notabis autem hoc loco
 apud Septuaginta currum pro biga accipi,
 sicut & apud Iosephum. Si enim currus
 pro centum argenti, & equus vnus dimi-
 dio huius, hoc est, pro quinquaginta argen-
 ti, necesse est currum intelligamus bigam,
 non quadrigam. Secundo autem Paralipo-
 menon capite primo, currus non pro biga
 accipitur, sed pro quadriga, etiam iuxta
 translationem Septuaginta, quamuis illo
 in loco translatio Septuaginta non satis in-
 tegralis sit; sic enim legitur : *καὶ ἐξήκον ἐξ αἰγυπτίου*
ἀρμα ἐν χιλιῶν (lego ἐν χίσις) ἀργυρίου, καὶ ἵππον ἓξ
καὶ ἀργυρίου, id est, Et educebant ex Ægypto
 currum sexcentis siclis argenti, & equum
 centum & quinquaginta argenti, repetito
 ex superiori, siclis, quare sexcentos siclos
 quibus quadriga emebatur, duplo maio-
 res intelligemus, nempe sennum denum
 obolorum; sexcentos autem siclos, quibus
 emebatur biga dimidio minores, nempe
 octo.

octonum obolorum, quos Iosephus, sicuti
 diximus, drachmas vocat; sic enim sexcen-
 ti sicli maiores efficient mille & ducentos
 siclos minores, nempe pretium duarum
 bigarum, vnus videlicet quadrigæ, & cen-
 tum quinquaginta sicli maiores, efficient
 trecētos minores, quod est pretium vnus
 equi. Ad hunc igitur modum vterque lo-
 cus de equis Salomonis consonus sibi inui-
 cem esse reperitur, quod vel Scriba vel Ra-
 bini apud Hebræos non intelligentes, al-
 terum locum ex altero castigauerunt; vi-
 debantur enim isti duo loci inter se pugna-
 re, nec simul stare posse. Proinde nūc vter-
 que locus in Hebræo eodem modo legi-
 tur, nec potest vterque nisi de quadriga in-
 telligi, cum tamen ex translatione Septua-
 ginta & Iosepho constet alterum de biga
 scriptum fuisse. Quod igitur siclus & ta-
 lentum auri dimidium pondus sicli & ta-
 lenti argenti habuerit, fatis, vt puto, osten-
 sum est. Sciendum tamen quòd aurum in-
 terdum ad pondus argenti computatur,
 præsertim quando post summam argenti
 summa auri describitur: cuius rei exem-
 plum est, quod superius citauimus, vbi rex
 Ægypti dicitur à Iudæis exegisse centum
 talenta argenti & talentū auri; & in Moy-
 si libris, aurum frequentèr ad siclum & ta-
 lentum sanctuarij, sicut & argentum com-
 putatur. Sic apud Pollucem talentum auri
 dicitur decem talenta argenti, non quinq;
 aut sex. Quin & argenti summa nonnun-
 quam

quam numeratur ad pondus auri. Sicut lib. primo Paralip. cap. x x i i, vbi David dicit se præparasse impèfas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum; hoc loco enim argenti talenta, sicut & auri parua intelliguntur, quemadmodum ex Iosepho ostendimus; & cap. x x i eiusdem libri argentum numeratur ad siclos paruos nempe ponderis auri. Maiora tamen pondera principaliter argento fuerunt deputata, & minora auro, sicut supra ostendimus.

Præter aureos verò, de quibus iam diximus, fuerunt & alij maiores apud antiquos. Pollux docet apud Athenienses fuisse staterem, qui minam valuit, & minam stateram vocatam esse.

Budæus ex pretio coniicit staterem huiusmodi fuisse vncialem, id est, octodrachmum, quales etiam aureos credo fuisse apud Romanos, qui Atheniensium ponderibus & mensuris vsi sunt. vidimus multos tales, adulterinos quidem illos, non enim aurei fuerunt. sed aurum imitabatur elegantissimè ad exemplar, vt apparet, proborum aureorum facti, quorum ea magnitudo fuit, vt si auri essent, vnciam possent appendere. Sed & aureum huiusmodi extare audio apud Magnificum Dominum Ioannem Christophorum Castellanum Voinicensem Comitem à Tarnou, cum inscriptione Græca ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΥ, cuius magnitudo citra vltra decem aureorum esse

esse dicitur. Si igitur octo drachmarum aureus fuit apud Athenienses, sex aureis constabat octonum obolorum, quemadmodum pretium aurei octo obolorum, sex argenteis constabat senum denum obolorum, quod pretium Hebraicè siclus dicitur. Sicut autem argentei stateris dimidium pondus habuit aureus; ita sicli, hoc est, sex argenteorum, aureus stater magnus dimidium pondus videtur habuisse. Sex enim aurei octonum obolorum, quibus constabat, semissem appendunt sicli sex argenteorum, nempe tres stateres senum denum obolorum, quæ fuit millesima talenti maioris Attici, quod idem cum Ægyptio fuit. Sicut talentum illud auri sex drachmarum, cuius supra mentionem fecimus ex Polluce, fuit millesima minoris talenti Attici, quod idem cum Hebraico talento fuit. Similes igitur aureos fuisse apud Hebræos & Ægyptios, quibus Athenienses sua pondera debent, probabile est, & siclos ita vocatos, sicut stateres apud Græcos, non solum ipsos aureos, sed & pretia eorum, hoc est, minas seu stateras. Hinc enim Iudicum nono septuaginta argenti (ita enim in Hebræo & apud Septuaginta legitur, subauditavoce, siclos, ut sit septuaginta argenti siclos) nostra trāslatio exponit septuaginta pondo argenti, & certè locus ille requirit hoc, ut septuaginta argenti maiorem summam intelligamus, quàm septuaginta aureorū didrachmorum pretium.

tium. Similiter Iosephus in antiquitatibus Ioseph venditum scribit viginti minis, viginti enim argenti, quod habetur in Hebræo, intellexit. Iosephus pretium viginti aureorum non minorum, sicut nos interpretati sumus ex Suida, sed grandiorum, qui scilicet singuli minam valerent. Sic igitur siclus aureus fuit non solum paruus nempe argentei scli dimidium pondus habens, sed & grandior, nempe quinque sexve minores aureos appendens; & item pretium scli aurei, quod etiam siclus dicitur, non solum quinque sexve argentei, sed & mina grandioris aurei pretium. Notabis etiam in talentis, quæ quinquies sexiesve talentum capiunt, quantum simplex continet talentum, siclum etiã quinquies sexiesve tantum esse, quantum simplex continet siclus, vt quod in simplici talento est argenteus vnus, hoc in huiusmodi talento sit auri vnus dimidio minoris pretium, & quod in simplici talento est pretium aurei scli, hoc in huiusmodi talento sit pretium quinque sexve aureorum siclorum, hoc est, vnus grandioris aurei. His ita expositis, priusquam ad alia trãseamus, nõ inutile fortasse fuerit, & locum Matthæi expendere de pecunia, qua conductus Iudas Dominum prodidit. Apud Zachariam triginta argenti legimus, apud Matthæum *τριάκοντα ἀργύρια*. Est autẽ *ἀργύριον* Græcis pecunia argentea, sicut *χρυσίον* pecunia aurea. Et si quidem *τριάκοντα ἀργυρίου* scriptum

ptum haberemus, necessariò intelligeremus triginta argenteos. Verùm cum *τριάκοντα ἀργύρια* scriptum sit, possumus intelligere triginta summulas, vt ita dicam, hoc est, triginta siclorum auri pretia. Nam quòd non triginta denarios hic intelligere debeamus, res ipsa arguit. Constat enim pecunia illa agrum emptum esse, in sepulturam peregrinorum. Triginta autem denariis emi nò poterat: Quid enim tantillo pecuniæ emas? nam triginta denarij non multo plus valent quatuor taleris: quapropter hic triginta *ἀργύρια* accipiemus, pro pretio triginta siclorum auri. Vtebantur autem tunc Iudæi, vt constat ex Euangelis, Romana moneta. Romanis autem aurei didrachmales erant; quapropter x x x, aureorum huiusmodi pretium trecentos superat denarios. Quod si non numismatici, sed rudis, & inferioris notæ auri pretium intelligere volumus, x x x. sicli huiusmodi auri efficiunt in decupla proportione, trecentos denarios: æstimabatur autem vnguentum, quod in caput Domini effusum est, plusquam trecentis denariis. Iudas autem, sicut Ioannes scribit, indignabatur, quòd non esset trecentis denariis venditum; vnde probabile est, Iudam tantum à Iudæis postulasse, & accepisse quanti vnguentum valere putabat, vel quanti non esse venditum indignabatur.

DE SICLO,
DE SICLO ÆRIS ET
FERRI.

Siculum æris & ferri eundem fuisse, probabile est; quantus autem fuerit hic siclus, non satis constat: Siclum tamen æris omnino non minorem fuisse argenti siclo, credere debemus, sed aut maiorem, aut certè parem; neque enim probabile est, vilioris metalli minorem fuisse siculum. Secundi Regum cap. XXI. Philistæi cuiusdam de genere Gigantum pondus hastæ scribitur fuisse, iuxta translationem Septuaginta, trecentorum siclorum ponderis æris, vnde discimus fuisse siculum, qui peculiari-ter siclus ponderis æris vocabatur: nempe, diuersus à siclo argenti. quod si diuersus fuit, maior fuit; non enim quòd minor, sed quòd maior esset diuersus erat: comprobatur hoc & nostra translatio, quæ pro trecentis siclis, habet trecetas vncias. Cuius (inquit) hasta, trecentas vncias appendebat. Vt sit siclus æris duplo maior siclo argenti, sicut argenti siclus, duplo fuit maior quàm siclus auri. & primi Regum cap. XII. scribitur in vniuersa terra Israël non fuisse fabrum ferrarium, quod Philistini cauissent ne Hebræi gladium facerent, aut hastam. Vnde vniuersus Israël, descendebat in terram Philistinorum ad fabricanda instrumenta, agriculturæ necessaria. Instruméta autem fuerunt, iuxta translationem Septuaginta, tres sicli in dentem, seu vomerem, & securi atque

atque falci idem fuit pondus, seu, vt verbis Septuaginta vtar, eadem hypostasis, seu substantia. Quod & si videtur dictum ad ostendendam paruitatem instrumentorum; siclum tamen ferri, arguit maiorem fuisse argenti siclo, nempe, tetradrachmo. Atque hæc caussa videtur esse, quòd æris & ferri summa nunquam recensetur in scriptura, ad siclum sanctuarij, sicut argentum & aurum, nimirum quòd siclus hic, diuersus & maior sit tetradrachmo, & semivnciali siclo. Sic igitur siclus æris & ferri, videtur fuisse maior siclo argenti. At si pondus armorum Goliath expendamus, diuersum reperiemus, nempe siclum æris & ferri, semivnciale fuisse. Lorica Goliath, habuit pondus quinque millia siclorum, æris & ferri; hasta autem eius, immò non hasta sed ferrum hastæ, sexcentos siclos ferri habuit. fac siclum æris & ferri semivnciale fuisse, quinque millia siclorum efficient ducentas minas, & sexcenti sicli, viginti quatuor minas; quibus addatur pondus conti, seu hastilis, quod erat quasi liciatorium texentium, & item gladij, galeæ, ocrearum ærearum, & clypei ærei qui humeros eius tegebat. Hæc enim singula, pro magnitudine prædictorum iuxta proportionem competentem, magnitudinem suam habuerunt, vnde coniuncta simul omnia arbitror plus habuisse ponderis quàm thoracem cum ferro hastæ. Atq; ita pondus vniuersorum armorum Goliath

liath ascendet ultra quadringentas minas. Budæus iustum pondus baiularij dicit esse centum sexaginta libras zygotaticas Parisienses quæ ducentas ferè minas efficiunt, seu duos centenarios. Arma igitur Goliath plusquam duorum baiulariorum est iustum pondus, habuerunt. Si autem siclum æris & ferri vncialem intelligemus, duplo maius pondus armorum ipsius statuamus necesse est, vt arma Goliath, plus quam quatuor baiulariorum habuerint pondus, quod videtur esse impossibile, præsertim cum armatum, non ita oneratum esse armis conueniat, vt tantum ea ferat, sed vt armatus expedite & pugnare, & currere, & alia id genus facere, quoties opus est, valeat: quod viro dimidium iusti oneris, vt puto, adimet. Plutarchus in Demetrii exercitu scribit fuisse Alcimum quendam Epirotam, qui solus panoplia duorum talentorum utebatur, cum alij panopliam dimidio minorem gestarent, nempe vnus talenti. Alcimus igitur, duorum virorum gestabat arma, nempe, duorum centenariorum, vt iam concedamus ibi talenta centenarum minarum esse intelligenda. Goliath autem, plusquam quatuor virorum, si, inquam, siclum æris & ferri, semivncialem intelligamus; alioqui si vncialem accipias siclum, bis tantum erit pondus armorum Goliath, quod fidem excedere videtur. Ex prædictis igitur apparet quod siclus æris & ferri institutus sit duplo maior quam

quàm argenti, nempe vncialis. Ceterùm sicut argenti siclus, quamuis tetradrachmus esset institutus, cœpit esse & didrachmus: ita siclus æris & ferri, vt apparet, cœpit esse & semivncialis, etiam si propriè siclus æris & ferri diceretur, qui vnciam appenderet: sic igitur quinque millia siclorû thoracis Goliath & sexcentos siclos, quos ferrum hastæ ipsius appendebat, semivnciales siclos intelligemus. Trecentos autè illos siclos hastæ alterius Philistini vnciales intelligemus siclos, qui propriè sicli æris dicuntur, vt hasta trecentorum siclorum, idè pondus haberet cum ferro hastæ Goliath, pro miraculo enim & illa hasta refertur, vnde & pondus eius ingens fuisse credendum est. An autem, sicut argenti siclus dicitur & vnus tetradrachmus siclus, & quinque sexve tetradrachmi sicli & mina argenti; ita etiam æris ferrive siclus, dicatur & vnus vncialis siclus, & quinque sexve vnciales sicli, & libra seu mina ferri, non constat, nisi quod locus ille, quem ex translatione Septuaginta de instrumētis rusticorum adduximus, tale aliquid innuere videtur: qualis enim securis, ex tribus ferri vnciis esse potest? quare sicli ferri illo in loco videntur esse accipiendi, pro libralibus, aut quincuncialibus sexúcialibusve siclis, quod quidem non in ponderibus tantum, sed & in mensuris tam aridorum, quàm liquidorû fuisse obseruauimus. Quin & in Geometricis mensuris hoc idem deprehēditur,

ditur, cubitus enim antiquitus apud Geometras fuit, qui in sex cubitos simplices ducitur, sicut Origenes & Augustinus annotarunt, super Genesim, vbi Noë dicitur fecisse arcam trecentorū cubitorum. Hæc habuimus de siclo æris & ferri, de siclo argenti & auri, de talento sanctuarij, de talento publico, maiori & minori, & item de regio, & Ægyptio talento: superest iam vt ad mensuras Hebraicas veniamus, quod & faciemus, deo fauente, si prius paucis dixerimus vnde pōdera Hebraica ad Babylonios & Græcos peruenerint. Ad Babylonios igitur peruensisse videntur, cum Hebræi latè in Syria imperarent, à mediterraneo mari, ad Mesopotamiam vsque; aut certè, cum Chaldæi Hebræos Phœnicas & alias gentes, in Syria armis subegissent. Ad Græcos autem transmarinos homines peruensisse videntur pondera Hebraica, non ab Hebræis mediterraneā incolētibus, sed vel ab Ægyptiis vel à Phœnicibus Hebræis vicinis, quod & probabilius est. Phœnicū enim cum Græcis antiquissima cōmertia fuisse, ex Homero & Herodoto discimus. Quod autem Phœnices iisdem pōderibus vterentur, quibus Hebræi, colligitur etiam ex Iosepho qui libro secundo de bello Iudaico, Tyrij numismatis meminit, quod quatuor Atticas drachmas valuit, sicut & siclus Hebraicus, vt Tyrium numisma idem fuerit cum siclo Hebraico: sed de his, lectorem paucis admonuisse sufficiat.

DE MENSVRIS HEBRAICIS. ¹⁰³

NOMINA MENSVRARVM QVÆ
HIC EXPLICANTVR.

ARIDORVM.

Gomor, *sive* Homer,
Corus,
Lethek,
Epha,
Satum,
Assaron, *seu* Gomor,
Cabus.

LIQVIDORVM.

Bathus,
Hin,
Log,
Corus,
Homer, *seu* Gomor,
Schalis *&* satum.

DE MENSVRIS ARI-
DORVM.

CORVS aridorum maxima mensura.

Corus & Gomor idem, sicut Rabini docent, & translatio Septuaginta, quæ pro Gomor sæpe corum interpretatur. Hoc tamen interest, quòd Gomor est vox antiquior, & Hebræis vsitatior, & vt ita dicam, magis vernacula. Corus autem, quem Hebræi Cor dicunt, vox non perinde antiqua videtur, nec ita Hebræis vsitata. Non enim vel in Mosis libris, vel apud prophetas, vsquam reperitur, præterquam apud Ezechielem, Esdram, & in libris Regum, ac Paralipomenon, & videtur ad Hebræos ab externis peruenisse; quibus, vt apparet, magis vsitata quàm Hebræis fuit: id quod ex scriptis Iosephi, & Septuaginta translatione colligi potest. Iosephus enim Græcè scribens, cori voce sæpe vtitur. Gomor autè, vox nusquam in scriptis eius reperitur. Septuaginta verò pro Gomor, sicut diximus, sæpe corum interpretantur, quod satis arguit, externis vocem hanc magis notam, & vsitatam fuisse, contrà quàm Hebræis, quibus vocem Gomor, magis vsitatam & vernaculam fuisse constat.

Corus igitur, vt Epiphanius, episcopus Salaminis eius, quæ in Cypro est, scribit, triginta modios capit, hoc est, sex medimnos. Nam Salaminus medimnus in quinque modios diuidebatur, vt Epiphanius do-

docet. Probabile autem est, Salaminios medimnum Romanum habuisse : quandoquidem etiam pondera habuerunt Romana, vt ex eodem Epiphanio discimus. Libra enim apud Salaminios, fuit duodecim vnciarū, & vncia, octo drachmarum. Sed quòd medimnus Salaminius idem esset cum medimno Romano, ex eodem Epiphanio potest euidentius probari. Satum enim, quod Iosephus dicit capere sesquimodium Italicum, Epiphanius dicit capere modium Salaminium, & quadrantem, vt quatuor fata, quæ sex modios Italicos constituunt, hoc est, medimnum Romanum, quinque Salaminios modios efficiât, nempe, medimnum Salaminium. Si igitur quatuor fata constituunt medimnum Salaminium, & medimnum Romanum; necesse est, Salaminium medimnum, cum Romano æquales esse. Nec mouere quenquam debet, quòd apud Romanos medimnus, sex modis constat : Salaminius verò, quinque modis. Sic enim medimnum antiquitus, alij in quinque, alij in sex modios partiebantur, etiamsi interdum vnus & idem esset medimnus. Vnde Budæus ex Cicerone annotauit medimnū Romanū, Ciceronis tempore, Siculis in vsu fuisse, quem tamen illi in quinque, non sicut Romani in sex, diuidebant modios. Quòd autem corus, seu gomor, sex caperet medimnos, testis est Eupolemus, scriptor Græcus, qui dicit corum Hebraicum, sex artabas

capere, vt videre est, apud Eusebium libro nono de præparatione Euangelica. Et Septuaginta Esaiaë quinto, eorum eodẽ modo interpretati sunt sex artabas. Artaba autem, vt videre est, apud Hesychium & Suidam, capiebat Atticum medimnum: est & mensura Persica Artaba, quæ, vt Herodotus scribit, Atticum medimnum superabat, tribus chœnicibus Atticis, vt artaba Persica chœnices Atticos quinquaginta & vnum caperet: Atticus autem medimnus, quadraginta octo. Hic autem sex artabas, non Persicas mēsuras, sed Hebraicas, sex Atticis medimnis pares, intelligere debemus. Nam Athenienses, sicut ponderibus, ita & mensuris iisdem, quibus Hebræi, vsi sunt: id quod inferius magis apparebit. Similis coros Hebraico fuit Cypsele, mensura apud Athenienses, sex medimnos capiens, cuius etiam fit mentio apud Aristophanem in Pace, *καί μοῦ λίθον ἐμβαλόντες ἐξ ἐμέδμινον κυψέλιω ἀπώλεσαν*, id est, Ac meã iniecto lapide, sex medimnos capientem Cypselem confregerunt. Sed quantitas cori manifestius etiam est ostendenda. Sciendum itaque, quod decima cori pars, dicitur coros, sicut decima talenti talentum. Vnde quod tertij libri Regum cap. quinto legitur, Salomonem Tyriorum regi quotannis præbuisse viginti millia coros tritici: Iosephus pro viginti millibus, scripsit duo millia, decem coros, pro singulis coris cõputans: quod cum ita sit, videamus alterũ

Iose-

Iosephi locum, qui libro antiquitatum ter-
 tio, sub finē, hisce verbis legitur. ἀλλὰ καὶ τοῦ-
 δε τοῦ πολέμου μικρὸν ἐμπαροσθεν κλαυδίου ῥωμαίων ἀρχον-
 τος, ἰσμαήλου δὲ παρ' ἡμῖν ἀρχιερέως ὄντος, καὶ λιμοῦ τὴν χά-
 ραν ἡμῶν καταλαβόντος, ὡς τεσσάρων δραχμῶν πωλεῖσθαι
 εἰσαράνα, κομισθέντος ἀλεύρου καὶ τὴν ἑορτὴν τῶν ἀζυμῶν
 εἰς κόρους ἐβδομήκοντα (μέδιμνοι δὲ οὗτοι σκελικοὶ μὲν εἰσὶν
 εἰς καὶ βιάκοντα, ἀπικοί δὲ τεσσαράκοντα εἰς) οὐδεὶς ἐτόλμη-
 σε ἑρεῶν κρίνον ἐν φαγῆν. id est, **Quin & paulo** τὰν
 ante Iudaicum hoc bellū, principatu Clau-
 dij, pontificatum apud nos Ismaële obti-
 nente, cum tam valida fames regionem
 nostram premeret, vt assaron quatuor dra-
 chmis veniret, & in festiuitate azymorum,
 allati essent farinae cori septuaginta (qui
 sunt medimni, Siculi quidem vnus, & tri-
 ginta; Attici verò, quadraginta vnus) nemo
 tamen sacerdotum ausus est micam vnā
 inde comedere. hactenus Iosephus. Se-
 ptuaginta cori parui, id est, decimæ, effi-
 ciunt integros coros septem. Si autem se-
 ptem cori, quadraginta & vnum medim-
 num Atticum efficiunt; necesse est eorum
 vnum capere sex Atticos medimnos, mo-
 dio ferme vno, id est, sexta medimni parte
 minus. Atque ita artaba Hebraica, sexta
 pars cori, Attico medimno minor erit, ferè
 chœnice & triente, vt inter Hebraicas, &
 Atticas mensuras, ea sit differentia, quæ est
 inter raras & cumulatas mensuras; facile
 enim medimnus, pro auctuario chœni-
 cem, & trientem, atque adeò etiam am-
 plius admittit. Iam igitur iuxta hanc sup-
 puta-

putationem,corus Hebraicus pauxillo minus, quàm sex Atticos medimnos capiebat, quod tamen de minori coro intelligendum est. Fuit enim præter hunc, alius maior, qui, vt Iosephus libro antiquitatum quindecimoscribit, capiebat Atticos medimnos decem. *ὁ δὲ κόρος δύνανται μεδίμνους ἑξήκοντος δέκα.* valet autē (inquit) corus Atticos medimnos decem. Vnde oritur dubium, si maior corus decem Atticos medimnos capit, quomodo minor non integros Atticos sex capiebat; necesse est enim, si maior decem Atticos medimnos capit, minorem Atticos etiam sex capere; aut si minor non integros sex Atticos capit, maiorem quoq; non integros decem capere, vt proportio inter eorum, & eorum, conseruetur; alioqui nulla proportio ratiocinabilis esset inter has mēsuras, quod est absurdum. Quare dicendum, aut Iosephum discrimen, quod est inter medimnos Atticos, & corū maiorem Hebraicum, propter exiguitatem neglexisse, sicut Herodotus, & Iulius Pollux talentum Babylonium septuaginta Euboicarum, seu Atticarum minarum pōdus habere dixerunt; & tamen, ex ipsius etiā Herodoti supputatione, paulo maius esse constat septuaginta minis Euboicis. Et Ælianus manifeste docet, Babylonium septuaginta duas minas Atticas appendere. Sic igitur, & hic tenue discrimen, quod est inter decem Atticos medimnos, & Corum Hebraicum potuit neglexisse Iosephus.

phus. Aut inter sacras mensuras, & publicas fuit aliquid discriminis, fortasse quod publicas cum auctuario metiendi esset cōsuetudo, aut confertas & coagitatas, nam & hanc consuetudinem metiendi fuisse antiquitus, ex euangelio discimus. In sacris autem, non licuit quicquam addere, sicut nec minuere: vnde si septuaginta cori sacri, de sacris enim locus ille Iosephi intelligitur, efficiunt quadraginta vnum medimnum Atticum, totidem publicæ mensuræ, si aliquanto plenius admetiebantur, facile quadraginta duos Atticos medimnos efficere possunt, ita vt in singulos decem coros, qui vnum integrum efficiunt, sex integri Attici medimni cedant. Sed hæc lectoris iudicio permittimus. Corum itaque statuemus, maiorem quidem decem Atticos medimnos, minorem verò sex capere; aut si quod discrimen fuit, non tale tamen putandum est fuisse, vt ob hoc, aut ille decem Attici medimni, aut hic sex dici non possit.

Quod cū ita sit, superest, vt de regio dicamus coro, quod & facturi sumus, vbi prius de partibus, in quas diuiditur corus, dixerimus.

DE DIVISIONE CORI.

Corus in decimas, & duodecimas diuiditur, sicut annus etiam antiquitus diuidebatur. Non enim sine respectu temporis,
anti.

antiqui mensurarum suarum, & ponderum
modos instituisse videtur. Hinc illi Fannij
versus, de scrupulis, quæ grammata dicun-
tur Græcis :

vnde putandum

*Grammata dicta, quod hæc viginti qua-
tuor in se*

*Uncia habet; tot enim notis vox nostra
notatur,*

*Horis quot mundus peragit, noctemque
diemque.*

Et de vncia.

*Vncia in libra pars est, quæ mensis in an-
no.*

Decima anni annus dicitur, secundi Re-
gum quindecimo: post quadraginta autem
annos dixit Absalon ad regem David. Si-
militer apud Septuaginta, & in Hebræo le-
gitur. Iosephus autem pro quadraginta di-
xit quatuor. Transactis (inquit) postquam
reconciliatus est patri quatuor annis, *μετὰ*
δὲ τὴν τοῦ πατρὸς καταλλαγὴν τεσσάρων ἐτῶν ἢ διημερη-
λυθόντων. vides vt hic denos annos, Iosephus
pro singulis annis computat. Quod autem
duodecima anni quoque, hoc est mensis,
ipse dicatur annus, testis est Plinius qui an-
num Ægyptiis senio lunæ determinari di-
cit. Hinc & apud Romanos annus ab ini-
tio in decem partes diuisus fuit; postea ve-
rò

rò in duodecim. Sed ad eorum redeamus. Decima cori dicitur corus, sicut ostendimus ex Iosepho, & tales coros intelligere debemus Numeri vndecimo, ubi de coturnicibus scribitur. Sed præstat integrum locum hic adscribere. Dixit Dominus ad Moſen : Populo quoque dices, sanctificamini, cras comedetis carnes; ego enim audiui vos dicere: Quis dabit nobis escas carniū? bene nobis erat in Ægypto. vt det vobis Dominus carnes, & comedatis non vno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, nec viginti quidem, sed vsque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras. & infra. Surgens ergo populus, toto die illo, & nocte, ac die altera, congregauit coturnices, qui parum decem coros. Hactenus verba Scripturæ. Decem cori parui, id est, decimæ efficiunt vnum eorum integrum, sex aut decem medimnorum: sed esto efficiant sex medimnos, decem parui cori: Sex medimni frumenti sufficere possunt in mensem alicui cum familia, quatuor enim modij apud Romanos, antiquitus dabantur in mensem seruis, vt scribit Donatus, & militibus, vt Polybius testatur de Romana militia, vnde sex medimni qui modios triginta sex efficiunt, sufficere possunt in mensem nouem hominibus. Quod si frumeti sex medimni sufficiunt nouem hominibus in mensem; multo magis, sex medimni carnis, possunt sufficere. Nec enim homo, quotidie tantum carnis co-

me-

medere potest quantum panis. Quod si quis hoc loco decem coros, non decimas cori, sed integros coros velit intelligere, vide quàm sensus non quadrabit cum verbis scripturæ. Decem cori senum medimnorum, sexaginta medimnos Atticos efficiunt; quæ summa, non in mensem, sicut scriptura dicit, sed in annum sufficeret alicui cum familia. Multo magis autem, si coros maiores intelligamus. Hanc igitur absurditatem Hebræi vitare volentes, ignariorum decimam cori quoque dici, pro decem gomor, decem cumulos interpretantur, nihilominus absurde: quid enim certi hæc expositio affert? Omnino enim scriptura, cum dicit decem coros, certum aliquid his verbis indicare voluit, quare cum dicitur, qui parum decem coros, decem coros, intelligemus paruos, nempe decimas; quæ sex medimnos Atticos efficiunt. Decima cori sex medimnorum, ferè tres modios Atticos, quos illi hecetas vocant, & semissem capit. Maioris autem cori decima est medimnus Atticus, duo Cracotienses coreti. Sed de cori decima hæc tenus.

Duodecima cori, Hebræis dicitur epha, Ægyptiis autem æphi, sicut Septuaginta transferre solent. Ægyptia enim videtur hæc vox, non Hebraica. Sic enim ut plurimum Ægyptiorum vocabula, desinunt in i. sicut videre est in iis quæ apud auctores leguntur voces Ægyptiæ, quas proinde

Græci

Græci in is vel in forma Græca, efferre solent, vnde Hesychius quoque *œphin*, iuxta formam Græcam dixit. *œphin*, inquit, est mēsurā Ægyptia, quatuor chœnicum. Hinc discimus Ægyptiis hanc vocem fuisse in vsu, à quibus, vt puto, ad Hebræos peruenit. Porrò chœnices quatuor, sunt duodecima pars medimni. Medimnus enim, pro quantitate sui, quadraginta octo chœnices continet. Sed ad Hebraicam epham redeamus. *Epha*, vt Hieronymus testis est, tres capit modios, id est, semimedimnum, quod quidem ex Iosepho videtur hausisse Hieronymus. Iosephus enim assaron mensuram, hoc est, decimam partem ephi, septem cotulas Atticas capere testatur, libro Antiquitatum tertio, hoc est, duos chœnices Atticos, & trientem; vnde decem assarones, seu epha, septuaginta cotulas Atticas, hoc est, viginti tres chœnices, & trientem efficiunt, quæ mensura semimedimno Attico, duobus tantum cotulis est minor; nam viginti quatuor chœnices, semimedimnum efficiunt; & XLVII, medimnum. Duæ igitur ephæ, Attico medimno, quatuor cotulis tantum, hoc est, chœnice, & triente minores erunt. Atque ita duodecim ephæ, efficient eorum, sex medimnos Atticos capientem, modio tātum vno deficiente: quæ supputatio, vt vides, ad vnguem conuenit cum illa superiori, de septuaginta coris. Quod igitur epha, sit duodecima pars cori, satis, vt puto, euidenter

H

osten-

ostendimus. Epham Septuaginta interdū
 exponunt cephi, interdum, *τρία μέτρα*, id est,
 tres mensuras: vnde quod habetur Exodi
 xvi. Gomor autem est decima pars ephi,
 Septuaginta transtulerunt *τὸ δὲ γομὸς τὸ δέκα-
 τον τῶν τριῶν μέτρων ἢν*. hoc est, Gomor autem,
 decima pars trium mensurarum erat. Et
 Esaiæ quinto, pro eo quod in Hebræo legi-
 tur, Sementis homer faciet epham: Septua-
 ginta transtulerunt, Qui seminat artabas
 sex, faciet mensuras tres: *ὁ σπειρώων ἀρταβὰς ἕξ,
 τρισὶ μέτρα τρία*. Gomor seu eorum exponunt
 sex artabas Epham verò tres mensuras. Sic
 igitur & nostra translatio, pro epha, frequē-
 ter tres modios habet, translationem Se-
 ptuaginta in hoc sequuta. Septuaginta
 enim, pro modio, mensuram dicunt, pro-
 pterea, quòd modius Hebræis mensuram
 sonat; non enim modius Græca vox est, si-
 cut nec mina, nec cadus, nec lagynum seu
 lagena. Sed hæc, & similia à barbaris per-
 uenerunt ad Græcos. Quarendum autem
 est hoc loco, quo nomine istæ tres mensu-
 ræ, seu modij epham constituentes vocen-
 tur apud Hebræos. Chaldaica igitur para-
 phrasis docet, sata vocari tres huiusmodi
 mensuras, seu modios. Nam Exodi sedeci-
 mo, quod Septuaginta transtulerunt, Go-
 mor autem, decima pars trium mensura-
 rum fuit; Chaldaica paraphrasis ita habet:
 Gomor autem (inquit) est vnum de decē,
 in tribus satis. quorum verborum sensus
 est; Gomor esse vnam de decem mensuris,
 quæ

quæ tribus continentur satis. Hoc loco paraphraſtes Chaldæus, vt vides, epham, ſeu tres meſuras, vocat tria ſata. Quin & Septuaginta paſſim ſatum interpretari ſolêt, *μέτρον*, id eſt, meſuram ſeu modium, & tria ſata. Gen. xviii, *τρία μέτρα* interpretati ſunt, eodem modo, quo epham ſolent interpretari, vt iam nemini dubium eſſe poſſit, epham tria ſata efficere, ita vt ſatum ſit tertia pars ephæ, id eſt, modius Atticus, ſeu Romanus. Si igitur corus, vt iam probauimus, duodecim capit ephas, & epha tria ſata; ſequitur eorum triginta ſex continere ſata. Atque, vt in cōpendium reducamus ea quæ diximus, Decima cori dicitur corus, & duodecima cori dicitur epha. Epha diuiditur in tria ſata, & decima pars ephæ, dicitur Gomor, ſeu aſſaron. Gomor autem, id eſt, decima ephæ, apud Hebræos non iisdem litteris, quibus Gomor, hoc eſt, corus ſcribitur. Nam Gomor pro coro, per aſpirationem ſcribitur homer: Gomor autem, id eſt, aſſaron, ſine aſpiratione per litteram ain. Epha ad eorum paruum, qui eſt decima cori, eam proportionem habet, quam habent decem ad duodecim: vnde ſi epha decem aſſarones continet, corus, hoc eſt, decima cori, cōtinebit duodecim. Diuiſionem in minutiora perſequi non poſſumus. Interim autem monendus eſt lector, quòd pro magnitudine cori, eſt partium cori magnitudo: vt exempli cauſa, Corus ſex medimnorum, decimā habet,

tres modios Romanos ferme, & semissem, nempe duodecim assarones continentem. Corus autem maior, decimam habet sex modios Romanos, hoc est, medimnum capientem. Eadem ratione corus sex medimnorum satum habet modium Romanum capiens. Corus autem decem medimnorum satum, hoc est, tricesimam sextam partem habebit, aliquanto maiorem sesquimodio. &c. Sciendum item est, quod sicut talentum diximus, diuidi non solum in decimas & duodecimas, sed etiam in quintas, & sextas: ita Corus, præter prædictâ diuisionem, etiam in sextas diuiditur. Nam sextas in mensuris Hebraicis annotare potuimus, quintas non item. Sexta minoris cori est artaba Hebraica, nempe medimnus Atticus, eadem cum decima cori maioris: vnde si decima cori dicitur corus; sequitur, & sextam quoque dici corum, cum sexta minoris cori eadem sit cum decima maioris. Sic igitur, & artaba, seu medimnum, dicitur corus. Maioris autem cori sexta, sunt decem modij Romani. Maior enim corus, decem Atticos, seu Romanos medimnos capit, qui sunt sexaginta modij. De sexaginta igitur sexta pars sunt decem modij, quæ mensura eadem ratione, corus seu homer dicitur. Huius mensuræ decima, erit modius Ezech. XLV, iuxta translationem Septuaginta: ita legimus; Decima pars Gomor mensura. Mensuram autem Septuaginta, sicuti diximus, solent vocare mo-

modiũ. Sic igitur intelligemus, decimam Gomor seu cori esse modium. In Hebræo autem habetur decima pars Gomor epha. Sciendum igitur est, quòd Septuaginta epham interdum transferunt ephi, interdum tres mensuras, sicuti diximus; interdum etiam, vt hic mensuram, hoc est, modium, quos secutus auctor translationis nostræ epham interdum ephi interpretatur, interdum tres modios, interdum etiã modium, vt Leuitici x i x. quod habetur in Hebræo epha iusta, & hin iustus, nostra translatio habet modius iustus, & sextarius iustus. videtur enim corus antiquissimus, fuisse duodecim medimnorum, qui ad minorem duplam haberet proportionem, sicut talentum sanctuarij, quod antiquissimum constat fuisse, duplam habuit proportionem ad talentum minus publicum. Huius autem cori sexta fuerit duo medimni, id est, duodecim modij. Atque ex eo modius, seu satum ephæ nomen accepisse videtur, quòd scilicet esset duodecima pars Gomor, seu cori duos medimnos capientis, & postea etiam idem nomen retinuisse, etiam si postea decima Gomor non duodecima esset. Atque ex hoc loco Ezechielis non intellecto, Iudæorũ Rabini dicunt epham decimam partem cori esse mensuræ magnæ, nescientes vocem Gomor, & ephæ variè in scriptura accipi. Sed & locus ille Ezechielis, non alium sensum requirit, quàm quem habet translatio Septuaginta.

ta. Præcipitur enim illic de mensuris & ponderibus, quibus pauperes circumueniebantur à diuitibus, nempe de paruis, id quod satis arguunt & pondera, quæ illic nominantur, nempe x x oboli, x v fici, x x fici, x x v fici. Vides hic nullam mentionem fieri magnorum ponderum, sed tantum paruorum, quibus tenues quotidie circumueniebantur. Sed locum illum Ezechielis hîc apponemus, iuxta translationem Septuaginta. ζυγός δικαίος κ̄ μέτρον δικαίον κ̄ χοῖνιξ δίκαια ἔστω ὑμῖν τοῦ μέτρον, κ̄ χοῖνιξ ὁμοίως. κ̄ ἔσται τοῦ λαμβάνειν τὸ δικατὸν τοῦ γομὸρ χοῖνιξ, κ̄ τὸ δέκατον τοῦ γομὸρ τὸ μέτρον. πρὸς τὸ γομὸρ ἔσται ἴσον. κ̄ εἰς ἄθμιον εἴκοσιν ὄβολοι, εἴκοσι σίκλοι, πέντε κ̄ εἴκοσι σίκλοι, δέκα κ̄ πέντε σίκλοι ἔσται ὑμῖν. id est, statera iusta, & mensura iusta, & chœnix iustus sit vobis mēsuræ & chœnix similiter: & erit vt accipiat decimā Gomor chœnix, & decimā Gomor mēsurā, ad Gomor erit æqualis, & appēdiculū (σαθμιον significat autē pondusculum, *günicht*.) viginti oboli, viginti fici, quinq; & viginti fici, decē & quinq; fici erit vobis. Sic legitur hic locus apud Septuaginta, in exemplaribus vulgatis Græcis. Apud Hieronymū autem, ita legitur translatio Septuaginta: Statera iusta, & mēsurā iusta, & chœnix iustus erit vobis ad mensuram, & chœnix similiter, vnus erit ad accipiendum. Decima pars Gomor chœnix, & decima pars Gomor ephi. Gomor erit æquum, ad pondus viginti oboli, viginti fici, quinque & viginti fici

sicli, & quindecim sicli mina erit vobis. Translationem igitur Septuaginta, & Græcam posuimus, & ex Hieronymo Latinâ, vt altera lectio possit ex altera emendari. In Hebræo itaque quod Septuaginta transtulerunt, mensurâ, habetur epha: vnde epham accipiemus hoc loco, pro modio, nempe, pro decima parte Gomor, seu cori decem modiorum. pro chœnicæ autem in Hebræo legitur bath, quæ vox de mensuris liquidorum tantum dicitur. Neq; enim vel in scriptura, vel apud auctorem quemquam extat mentio bathi aridorum mensuræ. Sed & locus Ezechielis postulat, vt bath intelligamus hoc loco mensuram liquidorum: præcipitur enim hic de ponderibus, & mensuris, quibus pauperes circumueniebantur: circumueniuntur autem mensuris, non solum aridorum, sed & liquidorum, puta olei, mellis, vini. &c. quapropter alterum Gomor hic intelligemus mensuram liquidorum, cuius decima est bath, seu chœnix mensurâ parua liquidorum, etiâsi chœnix apud Græcos de aridis ferè dicitur. Sed Septuaginta abusi sunt hac voce, certa de causa, vt postea dicemus. Quod autem Gomor fuisset mensura liquidorum, & bath decima ipsius, eodem capite apud Ezechielem legitur, iuxta translationem Septuaginta. *ὃ ἀπὸ τῆς ἀπυρρήτου ἀρορεῖτε ἐκτὸν τοῦ ὕφου ἀπὸ τοῦ κόρου τοῦ πυροῦ, ἢ ἐκτὸν πῦθου ἀπὸ τοῦ κόρου τῶν κριθῶν. ἢ τὸ ἀρόστυμα τοῦ ἐλείου ἀπὸ δέκα κοπλῶν. ἢ τὰ δέκα κοτύλαι εἰσι γομόρ. id est, & hæc sunt primitiæ,*

tiæ, quas separabitis, sextam partem ephi de coro tritici, & sextam partem ephi de coro hordei, & præceptum olei de decem cotulis, quia decem cotulæ sunt Gomor. Quod hic dicitur decem cotulas esse Gomor, in Hebræo habetur, decem bath sunt homer seu Gomor: unde homer seu Gomor fuisse etiam mensuram liquidorum, decem bath seu cotulas capientem, ex hoc loco manifestè discimus, etiâsi Rabini multiplicem acceptionem bath & Gomor ignorâtes, longe secus hæc intelligant, quorum errorem etiam nostri sunt imitati: quæ de re plura dicemus, eum de mensuris liquidorum tractabimus. Nunc autem postquam de maiori & minori coro diximus, & item de cori partibus, superest vt de regio quoque dicamus coro: apparet enim reges antiquitus pondera & mensuras suas habuisse, quæ peculiari nomine Regiæ dicebantur, nec id apud Hebræos solum, sed & apud alias gentes regibus vsu venisse credendum est. Nam & Herodotus scribens de rebus Persicis cubiti quoque regij meminit, quem vulgari cubito dicit maiorem tribus digitis fuisse. Maiores mensuræ apud Hebræos regiæ peculiariter dictæ, sicut & pondera, sesquiplam habuerunt proportionem ad minores mensuras, quas minores communes cum aliis suæ gentis hominibus habuerunt. Batus regius maior, sequibatam minorem capiebat, sicut ostendimus inferius. Sic igitur & de aridorum
men-

mensuris sentiendum est. Corus maior regius sesquicorū capiebat minorem. Vnde corus maior nouem medimnorum erit. Quam autem proportionem corus ad corum, eam & partes cori vnus ad partes alterius habuerunt. verbi gratia : Satum minoris cori capiebat modium, ergo satum maioris cori sesquimodius fuit. Quod autem fuisset satum sesquimodium capiens Italicum seu Romanum, testatur Iosephus libro Antiquitatum nono. Ex parte autem totum cognoscitur, & ex toto pars, sicut de ponderibus quoque diximus.

DE CORO ÆGYPTIO.

SICUT talentum Ægyptium, ad talentum minus Hebraicum, eam proportionem habuit, quam habent octo ad sex; ita & corum Ægyptium, eandem proportionem habuisse ad minorē corum Hebraicum, credere debemus: colligitur id ex mēsuris Græcorum, qui sicut ponderibus, ita & mēsuris Ægyptiorum vsi sunt. fac enim corum Ægyptium, octo medimnos Atticos capere; sexta pars eius erit mensura modiorum octo, sicut Hebraici cori sexta pars fuit sex modij. Octo enim medimni Attici efficiunt modios quadraginta octo, quorū sexta pars sunt octo modij, Siculus medimnus videlicet, qui Atticū medimnum duobus modiis superabat, sicut patet ex illo Iosephi loco quem superius citauimus,

vbi triginta Siculi medimni & quadraginta Attici pro eodem numerantur. Si enim triginta Siculi quadraginta Atticos valēt, sequitur Siculos tres valere quatuor Atticos. Atque ita Siculus medimnus capiet Atticum medimnum & trientem, hoc est, hecetas Atticos seu modios Romanos octo, qualem medimnum Atheniensibus etiam in vsu fuisse testatur Cornelius Nepos, cum scribit à Pomponio Attico frumentum Atheniensibus fuisse donatum, ita vt singulis VI I I modij darentur: VI I I enim, non VI I , in emendationibus exemplaribus legitur nominatim, quæ Venetiis apud Paulum Manutium sunt excusa. Et addit Nepos, qui modus mensuræ medimnus Athenis appellatur. Sed & Aristophanes cum introducit quendam, dicentem, quod sibi cypsele sex medimnorum iniecto lapide fracta esset, videtur cypselen sex medimnorum dixisse ad differentiam alterius, nempe, quæ esset octo medimnorum. Athenienses enim vsi sunt Ægyptiis ponderibus, & mensuris liquidorum, vt inferius docebimus: proinde non mirum quod & aridorum Ægyptias mensuras habuerint in vsu. Hieronymus super Esaiam, mensuram sex artabas Ægyptias capientem, dicit viginti modios esse, quod vtique Hieronymus, vt solet, ex Græco quoque accepit auctore, qui hoc ita docuit modios accipiens eos, qui quinque medimnum efficiunt, & tales viginti efficiunt quatuor

me-

medimnos, eorum videlicet minorē Ægyptiorum, eam proportionem habentem ad eorum maiorem, quam talentum minus habuit ad talentum maius. Diximus enim talentum minus Ægyptium semissem fuisse talenti maioris, vnde & eorum minor erit semis maioris eorum.

Ita & apud Hebræos fuit semiffis cori lethec dicta, cuius mentio fit apud Oseam prophetam cap. tertio, quam mensuram Epiphanius etiam Gomor vocatam tradit. Rabini lethec, sicut & Epiphanius, dimidium eorum interpretantur, sed cuius cori dimidium sit lethec, nec ex translatione Septuaginta, nec ex Iosepho constat. Probabile tamen est, maiorem eorum propter magnitudinem dimidiatum fuisse, ita vt lethec quinque medimnos caperet Atticos, seu quod idem est, decem ephas ternorum modiorum. Atque ita epha esset decima pars Gomor seu cori, qui dicitur lethec, sed hæc affirmare omnino non possumus.

Cabus mensura fuit quatuor sextarios capiens, quartam enim partem cabi, cuius fit mentio quarti Reg. cap. vi. Iosephus xestem, hoc est, sextarium interpretatur. Hanc ego mensuram puto, cuius Xenophon libro primo Anabases meminit, cum dicit capithen farinae binis siclis venalem fuisse. Capithe autem (inquit Xenophon) duos chœnices Atticos capiebat. Sicli vox arguit, & capithen vocem Hebræam Chal-

Chaldeamve esse, etiamsi detorta sit ad Græcam formam, sicut schecel forma Græca dicitur siclus, seu vt Xenophon dicit siglus. Porrò duo choenices quatuor xestas, id est, sextarios efficiunt. Sed hæc hæcenus.

Diximus superius antiquos mēsurarum suarum modos, non sine respectu temporis instituisse. Corus Ægyptius quem diximus octo medimnos capere, præter alia etiam in hoc videtur institutus, vt esset cibus vnus hominis in annum integrum. quatuor enim modij Attici sufficiunt vni in mensem: vnde quadraginta octo modij, corus videlicet Ægyptius, in duodecim menses sufficiunt vni. Habet sua commoda & corus sex medimnorū. Satum quod diximus esse modium Romanum, sufficere potest hominibus octo in vnum diem. Modius enim octo choenices continet, & choenix frumenti est diurnus hominis cibus: ita satum sufficere potest homini cum familia non magna in vnum diem. Cui autem satum in diem sufficit, huic corus in annum, hoc est, decimam anni sufficit. Annus enim, id est, decima anni, sicut inferius ostendemus, sunt triginta sex dies, quot sata corum diximus cōtinere. Quod si quis frumenti non trientem ephæ, hoc est, satum, sed trientem cori parui, hoc est, quatuor assarones singulis diebus cum familia absumat, hic corum, hoc est, sex medimnos in annum, id est, mēsem absumet:
corus

corus enim, sicuti diximus, diuiditur in decem coros paruos : quos rursus si in trientes diuidas, erunt triginta trientes, quot videlicet dies mensis habet. Ægyptij enim, sicut Herodotus tradit, omnes menses tricenum dierum faciunt, vnde sequitur annum illis esse trecentorum sexaginta dierum. Duodecim enim menses si per triginta multiplicentur, efficiunt CCC LX, & tot gradus sunt Zodiaci, quæ sol peragrans annum conficit. Verum quoniam sol intra trecentos sexaginta dies, cursum suum nõ cõsumat, ideo adiiciunt Ægyptij alios quinque dies extraordinarios, qui & intercalares ab illis vocantur, vt idem Herodotus scribit, Diodorus Siculus, Dion & Gaza. Quod verò extraordinarij essent hi quinque dies, nec in annum, partesve anni cõputarentur ab Ægyptiis, docet Plutarchus etiam in libello quem de Iside & Osiride scripsit, fabulã quandam super ea re referens, nempe Solem imprecatũ esse Rheæ: μήτε μηνὶ μήτε ἐνιαύτῳ τεκῆν, hoc est, vt nec mense nec anno pareret. atque Mercurium ea de causa Lunæ hos quinque dies taxillorũ lusu ademisse, & Rheam ita in iis peperisse : quos dies, inquit Plutarchus, nunc Ægyptij intercalares vocant, & natalitios deorum celebrant. Quod autem Hebræi in ciuilibus negotiis rationem mensium Ægyptiorum obseruassent, docet Iosephus in antiquitatibus. Annus igitur, id est, duodecima anni pars, triginta dies sunt. Annus

verò

verò, hoc est, decima anni, sunt triginta sex dies; de trecentis enim & sexaginta decima pars est triginta sex, duodecima autē pars triginta. Qui ergo sicuti diximus tertiam partem cori parui, hoc est, quatuor assarones singulis diebus absumebat, hic duodecim coros senum medimnorum absumebat per annum integrum. Cui autem satum, hoc est, modius in singulos dies sufficiebat, huic corus sex medimnorum in decimam anni partem quoque sufficiebat, & decem huiusmodi cori in annum integrum. Decem autem cori efficiunt *last* nostrum, hoc est, sexaginta medimnos seu coretos Masouiticos, qui singuli Cracouientes duos capiunt: vnde nostrates quoque videntur instituisse suum *last*, vt esset annuus cibus hominis cū familia mediocri. Porrò mensuras magnas nostris *last* non dissimiles apud antiquos fuisse ostēdemus inferiùs. Quod ergo de coro sex medimnorum iam diximus, similia de aliis coris intelligi possunt. Poterit autē aliquis præter hæc, & alia eodem pertinentia, per se inuestigare. Nos autem postquam de his quoque lectorē admonuimus, ad alia transibimus:

DE MENSVRIS LIQVI-

DORVM.

BATHVS inter liquidorū mēsuras, quarum in sacris libris fit mētio, maxima fuit.

Ba-

Bathus apud Hebræos, sicut & corus, fuit maior & minor, & præter hos etiam bathus regius, eam proportionem inter se habentes, quam pondera & mensuras aridorum habuisse diximus. Paralipomenon li. I. cap. I. I. I., vas quoddam à Salomone rege factum, quod & mare propter capacitatem dictum est, scribitur ter mille bathos capere. Regum autem historia idem vas, bis mille bathos capere tradit: unde manifestè bathi ad bathum sesquiplam fuisse proportionem discimus. Septuaginta, quos & nostra translatio sequitur, in Regum libris bis mille bathos transfulerunt; in libris verò Paralip. ter mille metretas, minorem bathum metretam exponentes. Iosephus autem ter mille bados scribit æneum mare capere, lib. V. I. I., cap. I. I. paulo autem superius eodem capite docet, badum mensuram esse septuaginta duorum sextariorum, cum scribit Salomonem Regem quottannis Tyrionum Regi misisse bis mille coros tritici, & totidem bados olei & vini. Badus autem (inquit Iosephus) potest capere sextarios duos & septuaginta. Et si quidem Iosephus post hanc interpretationem bathi, dixisset mare æneum bis mille bathos capere, sicut in libris Regum scriptum est; intelligeremus bathum Regium maiorem fuisse septuaginta duorum sextariorum. Nunc autem non duo millia, sed tria millia dixit, sicut liber Paralip. habet, necesse est ergo, ut intelligamus bathum

mino-

minorem, septuaginta duos sextarios capere, & per consequens maiorem bathum, quandoquidem sesquiplam habet proportionem, ad minorem, centum & octo sextariorum esse. Nam centum & octo sesquiplam habent proportionem ad septuaginta duo. Quod verò minor bathus septuaginta duorum sextariorum fuerit, potest etiam probari ex mensuris Atheniensium, quibus talentum minus Hebraicum, & mensuræ aridorum minores in usu fuerunt. Apud Athenienses ergo, sicut pondera duplicia, ita & mensuræ duplices fuerunt. Attica amphora capiebat amphoram Romanam, & semissem, sicut manifestè illa carmina docent.

Attica præterea dicenda est amphora nobis

Seu cadus, hanc facies nostræ si adieceris urnam.

Amphora Romana, sicut supra ex Budæo docuimus, capiebat sextarios XLVIII. urna autem viginti quatuor. Si ergo quadraginta octo addas ad viginti quatuor, habebis septuaginta duos sextarios: Atticam videlicet amphoram, eandem, ut vides, cum batho Hebraico. Ac ne quid dubites à barbaris ad Græcos hanc mensuram peruenisse, cadi vox te admonet. Cadus enim sicut & bathus Hebraica vox est, cad, & significat interdum hydriam, id est, vas quo aqua è pu-

è puteo hauritur, Genesis x x i i i i, in qua
 significatione apud Græcos nonnunquam
 vsurpatur: vnde apud Plutarchum *περὶ ἀδ-
 νεσχίας* legimus Socratem post exercitium
 corporis, quando maxime sitire solet ho-
 mo, cadum aquæ quem primum hauriret,
 effundere in terram solitum, vt hoc modo
 appetitum assuesceret rationi obtempera-
 re. Cadum Iosephus nonnunquam inter-
 pretatur amphoram. Sic hydria apud Græ-
 cos, quamuis propriè significat vas quo
 hauritur aqua; vnde & nomen ab aqua ha-
 bet. Sæpe tamen accipitur pro mensura vi-
 ni, sicut ex Polluce, & aliis auctoribus no-
 tum est. Attica igitur amphora, sicuti osten-
 dimus, Romanam amphorã & semissem,
 hoc est, tres vrnas capiebat. Medimnum
 autẽ capiebat quatuor vrnas, hoc est, duas
 amphoras Romanas, eam proportionem
 habens ad amphoram trium vrnarũ, quam
 talentum maius ad talentũ minus habuit,
 hoc est, quam tria ad quatuor, & sex ad
 octo habent. Sic ergo Athenienses habue-
 runt amphoram seu cadum, qui responde-
 ret talento minori; & medimnum, quod
 responderet talento maiori: vnde colligi-
 tur quòd sicut talentum minus Atticum,
 idem fuit cum talento minori Hebraico;
 ita & mensura liquidorum minor Attica,
 respondens talento minori, eadẽ fuit cum
 mensura liquidorum Hebraica, minori iti-
 dem talento respondente. Quod igitur ba-
 thus septuaginta duorum sextariorũ fue-

rit, & quod is bathus minor fuerit, satis, vt
puto, liquet. Notandum autem est quod
Bathus Ægyptius, si quis eum statuat (si-
cut certè statuere debet) eam proportio-
nem habere ad bathum Hebraicū, quam
pondera ad pondera, & aridorum mensu-
ræ ad aridorum mensuras habuerūt: quod,
inquam, bathus is erit æqualis mensuræ
aridorū, quæ est apud Hebræos sexta pars
cori minoris. Talentum enim Ægyptium
continet Hebraicum talentum semel, &
trientē insuper ipsius, & corus Ægyptius,
quem octo medimnos Atticos capere di-
ximus, continet eorum Hebraicum mino-
rem itidem semel & trientem ipsius: fac
igitur & bathum Ægyptium, qui bathum
minorem Hebraicū capiat semel, & trien-
tem, hoc est, septuaginta duos sextarios, &
item sextarios viginti quatuor. Nam vigin-
ti quatuor, sunt tertia pars de septuaginta
duobus: Septuaginta duo, inquam, cum vi-
ginti quatuor efficiunt nonaginta sex sex-
tarios, medimnum videlicet Romanum
& Atticum, qui idem fuit cum sexta parte
cori Hebraici minoris. Sic ergo bathus Æ-
gyptius, cum sexta parte cori minoris He-
braici coincidit; vnde Athenienses medim-
num aridorum Hebræis debent seu Phœ-
nicibus: Medimnum autem liquidorum
Ægyptiis, etiam si eæ mensuræ æquales in-
ter se reperiantur. Bathus minor Hebrai-
cus, sicuti diximus, septuaginta duos sextar-
ios capiebat, & regibus etiam in vsu fuit.
sicut

sicut locus Iosephi , quem paulo ante cita-
uimus , arguit : alter autem bathus regius
peculiariter dictus , qui sesquiplam ad hūc
proportionem habuit, centum & octo fuit
sextariorum. Publicus autem bathus ma-
ior , si eum statuemus proportionem eam
habere ad bathum minorem, quam corus
maior habuit ad corum minorem, centum
& viginti sextariorum haud dubiē fuit. Sic
enim decima huius erit sexta illius, duode-
cim videlicet sextarij , sicut decima cori
maioris est sexta pars minoris. Quod autē
bathus centum viginti sextariorū fuisset,
apud Hebræos colligitur ex Iosepho , qui
in vita sua scribit de Ioanne quodā vete-
ratore homine , qui a Iosepho res Galileæ
tunc administrante , petiit vt oleum sibi
extra fines liceret exportare , propter Iu-
dæos , quibus oleo agētibus facto vti nefas
esset. Hæc autem (inquit Iosephus) non re-
ligionis , sed turpis lucri gratia faciebat;
sciebat enim Cæsareæ Philippi duos sexta-
rios olei drachma vna venire: Gischalis au-
tem, quæ patria Ioannis fuit, octoginta sex-
tarios drachmis quatuor. Rursus de bello
Iudaico Iosephus eadem de re ita scribit:
Coëmens (inquit) Ioannes Tyrio numis-
mate, quod quatuor drachmas Atticas va-
let amphoras olei quatuor , eodem pretio
amphoræ dimidium venundabat. Quod
ibi dixit octoginta sextarios, quatuor drach-
mis, hic, Tyrio numismate , quod quatuor
Atticas drachmas valet amphoras qua-

I 2

tuor, ut

octoginta sextarij quæ

tuor efficiant amphoras vicenum sextariorum: vnde discimus amphorâ Hebræis in vſu fuiſſe viginti sextariorum, ſi quidem octoginta sextarij quatuor amphoras vicenum sextariorum efficiunt. Ioannes ergo quatuor drachmis in patria quatuor amphoras vicenum sextariorum emebat. Cæſareæ autem dimidiâ amphoram, hoc eſt, decem sextarios eodem pretio vendebat, quamvis oleum Cæſareæ carius veniret, prius quàm à Ioanne importatū eſſet: & Ioannes, vt puto, iis vendebat oleum, qui quæſtū ex ea re quoque facturi erant. Nec enim probabile eſt, Ioannem oleum cotulatim diuendidiffe. Sit ergo amphora viginti sextariorum Hebræis vſitata: quærendū cuius bathi pars illa amphora fuit. Minor bathus qui ſeptuaginta duos sextarios capiebat, non poteſt in huiusmodi amphoras diuidi. Sed nec regius bathus, hoc eſt, centū & octo sextarij diuiſionem huiusmodi admittit. Super eſt igitur, vt amphoram illam maioris bathi partem eſſe dicamus; is enim ſolus in huiusmodi amphoras diuidi poteſt, nēpe viginti sextarij, ſunt ſexta pars de centū viginti sextariis. Nam quòd menſuræ liquidorum antiquitus in ſextas diuiderentur, ex Hieronymo etiam diſcimus, qui ſuper caput quintum Eſaiæ ſcribens, batum (quem ex ſententia Rabinorum æqualem ephæ autumat) interpretatus eſt tres amphoras, amphoram haud dubiè ſedecim sextariorum menſurâ vocans,

cans, quæ plane est sexta pars medimni Attici, hoc est, bathi Ægyptij. Quod autem fuerit bathus seu metretes in Syria qui cētū & viginti sextarios caperet, docet etiam Cleopatra, & Nicandri interpres. Cleopatraræ verba sunt. Apud Syrios metretes est sextariorum Italicorum centum viginti. Huius igitur bathi sexta pars, nempe amphora viginti sextariorū, vocatur Gomor Ezechielis capite XLV. vbi dicitur iuxta translationem Septuaginta, Decima pars Gomor chœnix; in Hebræo autem legitur, decima pars Gomor bath.

Si enim decimam Gomor, hoc est, bath statuamus tantum capere, quantum chœnix capit, népe duos sextarios; necesse est, vt Gomor, qui in huiusmodi mensuras decē diuiditur, viginti sextarios capiat. Ideo enim Septuaginta abusi videntur chœnicis voce de bath, liquidorū mensura; quòd hæ duæ mensuræ æquales inter se essent; & ob hoc altera alteri nomen facile communicaret. Deinde quia amphora hæc viginti sextarios capiens, quamuis liquidorum sit mensura, nomen tamen aridorum mensuræ habet: nam Gomor & corus de aridis potius dicuntur, ideo & decima eius chœnix aridorum mensuræ nomine vocatur. Gomor autem hæc mensura dicta est, ex eo quòd bathus etiam cori nomine appellatur, sicut videre est apud Ezechielem, & in libris Regum, & apud Eupolemum Græcum scriptorem: proinde nec mirum,

quod pars eius Gomor seu corus etiam dicitur. Non solum autem sexta bathi, seu cori liquidorum vocatur Gomor, sed & duodecima eodem nomine appellatur, sicut inferius dicemus. Quemadmodum enim de ponderibus diximus, quod sexta pars talenti & duodecima vocatur talentum; quin & decimæ eorum, talenta quoque dicuntur: Ita & bathi seu cori sexta & duodecima vocantur Gomor seu corus; & horum decimæ bathi quoque dicuntur.

DE BATHI PARTIBVS.

chœcus

BATHVS diuiditur in sextas, sicut iam diximus; & præterea diuiditur in decimas, & duodecimas, sicut apud Græcos & Latinos cadus in decem congios, & amphora Attica seu cadus, qui idem fuit cum batho minore Hebraico, in duodecim congios: unde *corus*, hoc est, congius dictus est *δωδεκέυς*, id est, duodecimarius; sicut Hesychius testatur, & semicongium *ἡμισδοδέκατον*. Est autē *δωδεκέυς*, sicut *τριτεύς*, *ἑκτεύς* vox Attica: unde liquet Atheniensium hanc diuisionem amphoræ fuisse, à quibus etiam Romani congiij sui modum habuerunt, amphoram, id est, semimedimnum in octo congios diuidentes, & duas amphoras, hoc est, medimnum in sedecim congios, non suæ amphoræ medimnive proprios, sed alterius amphoræ, quam diximus eandem fuisse cum batho minore Hebraico. Sicut enim
talen-

talentum Atticum maius octoginta minas continere dicitur, non suas utique proprias, sed minoris talenti minas; suas enim minas sexaginta haud dubiè habuit, ita & medimnum cum dicitur sedecim congiorum esse, intelligemus non proprios ipsius congios, sed minoris mensuræ cōgios; suos enim congios duodecim aut decem habuit, si quidem in decimas & duodecimas, & item in sextas mensuræ antiquitus diuidebantur. Decima cadi, hoc est, congius apud Græcos & Latinos dicebatur cadus, vnde congiarius cadus dictus est, qui congium capiebat. Sic apud Hebræos decima bathi dicitur bathus, sicut ex Iosepho discimus, qui quod in Regum libris & Paralip. scriptum est de Salomone, quod scilicet Tyrriorum regi quotannis mitteret tritici coros viginti millia, & olei bathos viginti millia, & vini bathos, itidem viginti millia transtulit, sicut diximus, bis mille coros & totidem bados olei & vini: denos coros pro singulis coris, & denos bathos pro singulis bathis accipiens. Ita tertij Regum cap. septimo, vbi scriptum est, quadraginta bathos capiebat luter vn^o: Septuaginta interpretati sunt quadraginta congios, & Iosephus similiter libro octauo; vnde bathos ibi decimas bathi intelligemus, vt quadraginta bathi parui quatuor valeant bathos, quos metretas Septuaginta vocant: & Ioannes Euangelista cum dicit hydrias capientes binas aut ter-

nas metretas, per metretas designans bathos minores, qui singuli septuaginta duos sextarios capiebant. Conuenienter igitur decima bathi minoris choëus, seu congius dicitur, cum sit decima eius mensuræ, quæ metreta, seu cadus, seu amphora dicitur. Metreta enim & cadus, pro eodem accipiuntur: itidem amphoram & metretam, pro eodem interdum accipi docet Iulius Pollux. Eupolemus apud Eusebium bathú Hebraicum vocat corum; & addit: Corus autem vini sunt mēsuræ decem, ὁ δὲ κόρος τοῦ οἴνου ἐστὶ μέτρα δέκα. Decem mensuras Eupolemus vocat decem paruos bathos, hoc est, decimas bathi, qui dicuntur congiij. Diximus bathum quoque dici, sextæ partis bathi decimam, mensuram videlicet duorú sextariorú, quam Septuaginta chœnicem interpretati sunt Ezechielis x l v. eodem capite Septuaginta duodecimæ partis bathi nempe Gomor decimam exponunt cotulam. Atque ita sane cadus apud Græcos nonnunquam accipitur pro paruo vasculo, nempe pro cyatho, seu poculo, sicut Athenæus docet libro vndecimo, adducens etiam hos versiculos de quodam Pasifocle.

Ἐξ ἡοῦς εἰς νύκτα καὶ ἐκ νυκτῶν πασισοκλῆς

Εἰς ἡοῦν πίνῃ τετρακοσίοισι κάδου.

id est, de luce in noctem, & de nocte in lucem, Pasifocles quadringentis bibit cadis. Ex prædicto autem loco Ezechielis malè intellecto, Hebræorú Rabini, quos etiam

Lati-

Latini scriptores sequuntur, statuunt bathum decimam partem esse Gomor, id est, cori mensuræ magnæ aridorum, cum bathus cori sit octaua pars, non decima, sicut ex iis, quæ superius diximus, constat. Sed is error Hebræis euenit, ex eo quod bathi & Gomor, multiplicem acceptionem in scriptura ignorarent.

HIN mensuram, cuius mentio fit frequens in libris Mosi; Septuaginta *χοῦν* interpretantur, Leuitici xix. vbi præcipitur vt sint stateræ iustæ, epha iusta, & hin iustus. sic enim habetur in Hebræo. Septuaginta autem transtulerunt, *ζύγα δίκαια ἢ μέτρα δίκαια ἢ χοῦς δίκαιος*, id est, stateræ iustæ, mēsuræ iustæ, & chus iustus. Nostra translatio habet, modius iustus æquusque sextarius. Hieronymus super Ezechielem cap. llii, Hin, inquit, duos choas Atticos facit, quos nos appellare possumus duos sextarios Italicos, ita vt hin mēsurā sit Iudaici sextarij, nostriq; castrensis. hactenus Hieronymus. Hinc igitur discimus, quod hin, id est, chus Hebraicus, sicut Septuaginta transtulerūt, duplo maior fuit quàm Atticus, sicut didrachmum Hebraicum (sic enim siclum sanctuarij solēt interpretari Septuaginta) duplo maius fuit, quàm didrachmum Atticum. Si quidem chus Atticus, sicut hic Hieronymus docet, sextarium Romanum capiebat. Hebraicus autem bis tantum, hoc est, duos choas Atticos, seu quod idem est, duos sextarios Romanos. Qualem etiā

chun, nempe duorum sextariorum, fuisse apud nōnullos Græcos, ex Suida discimus. Accipitur autem chus interdum pro mensura duodecim cotularum, sicut supra ex Nicandri interprete ostēdimus; vnde chus interdum congium significat, interdum etiam sextam congiij partem, hoc est sextarium. Ad eundem modū apud Hebræos Hin interdum significat mensuram parua, nempe duorum sextariorum, interdum etiam magna, & quæ paruum hin aliquoties capit. Vnde Epiphanius hin capere dicit sextarios Alexandrinos, si rectè vulgata exemplaria habent, nouem. Sextarius autem Alexandrinus maior fuit, quàm Romanus, vt ex eodem Epiphanio colligitur. Rabi autem Salomō mensuram Log (quæ vox in plurali facit login, vnde lagynon & lagena apud Græcos nomen accepit) capere dicit sex oua; & duodecim login efficere mensuram hin. Ouum autem genus minutæ mensuræ antiquitus fuit, vt apparet, dictum à forma oui. Vnde apud Athenæum etiam ouum inter pocula recensetur, & ex Hesychio colligimus, cyathū formā oui habuisse: quare quod legitur apud Rabinos log capere sex oua, ego intelligo cyathos duplo maiores Romanis, vt log sit, sicut Latina translatio habet Leuitici xiiii, sextarius, qui sex oua, id est, cyathos capit. Antiquitus enim sextarius, apud alios in duodecim, apud alios in sex cyathos diuidebatur. Arbitror enim Rabinos

nos antiquos ita sensisse, etiamsi posteriores Iudæi hoc à maioribus acceptum, de gallinaceis ouis perperam intellexerunt, amphibologia vocis decepti: nec scripto à quoquam hoc traditum habent, quod dicunt de ouis gallinaceis, sed coniectura tantum vtuntur. Ego verò, quod dicitur log, capere sex oua, de ouis ipsis intelligi posse concessero, si quis oua grandiuscula intelligat, qualia sunt anserum: testula enim anserini oui, sextam ferè partem sextarij Romani capit, & sex testulæ sextarium Romanum. Quod autem antiqui Rabini, sex oua seu log, pro sextario acceperint, argumento est, quòd Cabum mensuram continere dicunt, quatuor login; legerunt enim apud Iosephum, pro quarta parte cabi sextarium, vnde cabum ipsum quatuor login, hoc est, quatuor sextarios interpretati sunt. Nam quod ex Iosepho hoc desumpserint Rabini, apparet etiam ex interpretatione sati; satum enim capere dicunt, sex cabos; Iosephum haud dubie secuti, qui scripsit satum sesquimodium Italicum capere: si quidem sex cabi, viginti quatuor sextarios efficiunt; seu, quod idem est, sesquimodium Italicum. Quod igitur sex oua seu log pro sextario Rabini acceperunt, satis iam, vt puto, liquet. Septuaginta autem log interpretati sunt cotulam à proportione, sicut & siclum interpretari solent didrachmum, etiãsi duplo maior sit didrachmo Attico. Sic igitur & log interpretati sunt

funt cotulam, quod esset Hebraici congiij, hoc est, mēsuræ hin pars duodecima; sicut cotula apud Athenienses, est Attici congiij duodecima pars. Apparet autem log dictum esse quoque bath. Nam Septuaginta apud Ezechielem bath decimam partem Gomor cotulam similiter interpretantur, vt intelligamus eo in loco Gomor mensuram liquidorum, duodecimam partem bathi maioris fuisse, capientem decem cotulas Hebraicas, qui sunt decem sextarij Romani. Sic enim & apud Epiphanium legimus Gomor esse duodecimam partem bathi: sed ad hin redeamus. Sicut apud Græcos chus pro congiio, & pro sexta congiij parte, hoc est, pro sextario accipitur: ita hin apud Hebræos, statuemus interdum pro duobus congiis accipi, interdum pro sexta parte duorum congiiorum, id est, pro duobus sextariis. Id ita esse, ex Iosepho etiam probari potest: is enim libro tertio *ἀρχαιολογίας* de oleo vnctionis scribens, hin mensuram hunc in modum definit. Est autem (inquit) hæc mensura vernacula, duos choas Atticos capiens: *μέτρον δ' ἐστὶν τοῦτο ἐπιχώριον δύο χόας ἀπικούς δεχόμενον.* Et paulo post de sacrificiis. *ὁ δὲ ἰν μέτρον ἀρχαῖον ἐβραϊόν. δύναται δὲ δύο χόας ἀπικούς.* Id est, Hin autem est mensura antiqua Hebræorum, & potest duos choas Atticos efficere. Bis eandem vocem interpretatur, vt intelligamus duo significata ipsius, quemadmodum choos apud Græcos duo significata sunt. Alio-
qui

qui quorsum attinebat in vna propemodum charta, bis eandem vocem interpretari, præsertim cum in omnibus suis scriptis Iosephus vnam mensuram bis non sit interpretatus? Quod igitur dicit Iosephus, duos choas potest accipi pro duobus congiis, & pro duobus sextariis; sed in superiori loco, duos choas necesse est vt intelligamus magnos, nempe congios; in posteriori verò paruos, hoc est, sextarios. Sic enim Exodi xxx, de oleo vnctionis scribitur: Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos siclos, & cinamomi medium, id est ducentos quinquaginta siclos: casia autem quingentos siclos in pondere sanctuarij, olei de oliuetis mensuram hin, faciesque vnctionis oleum sanctum vnguentum compositum opere vnguentarij, & vnges ex eo tabernaculum testimonij, & arcam testamenti, mensam cum vniuersis vasis suis, candelabra & vtenilia eius, altaria thymiamatis & holocausti, & vniuersa supellectilia, quæ ad cultû eorum pertinent &c. Pondus aromatum quæ hic recensentur, sunt mille quingenti sicli sanctuarij, id est, talentum Atticum sexaginta duas libras Romanas efficiens & semissem. Ad râtum igitur pondus aromatum non conuenit, vt intelligamus additos esse duos choas, id est, duos sextarios; sed potius duos cōgios intelligemus, præsertim cum totû illud confectû dicatur oleû ex quo tâ multa vngenda erant.

In

In sacrificiis autem offerendis præceptum est, vt cum agno offeratur similæ assaron, & olei quarta pars hin, cum ariete similæ duo assarones, & olei tertia pars hin, cum boue assarones similæ tres, & olei medium hin. Hoc loco hin paruum, id est, duorum sextariorum intelligere debemus, vt videlicet similæ respondeat oleū, alioqui quartam partem hin, id est, duorum cōgiorum tres videlicet sextarios olei cum assarone similæ offerri non est probabile. Probabilius enim est cum assarone similæ quartam partem hin, id est, heminā olei offerri &c. Hæc igitur est caussa, quod Iosephus vocem hin, bis in vna ferè charta interpretatur, nempe quod duo significata eius sint. Alioqui si in posteriori loco acciperetur, sicut in superiori; quid attinebat statim eadem repetere, præsertim cum id Iosephus alias nunquam faciat?

Hin duodecim sextariorum, tres congios, seu tres ollas Cracouienses efficit.

Hin mensura duorum congiorum tantum ferè capit, quantum ceruisiæ grosso in Masouia venditur.

Hin duorum sextariorum semicōgium, seu dimidiam ollam Cracouiensem capit, in Prussia *stoff* germanicè vocatur.

Est autem hin mensura duorum congiorum, gnomon mensurarum magnarum, nempe minoris & maioris bathi, & item regij. Atque adeò etiam Ægyptij bathi. Minoris enim bathi, est sexta pars, maioris

au-

autem decima, Regij verò nona, Ægyptij autem octaua. Quemadmodum artaba Hebraica medimnum Atticum valens, minoris cori est sexta pars, maioris decima, regij nona, Ægyptij octaua. Sic etiam talentum numismaticum mille Atticas drachmas valens, minoris talenti publici est sexta pars, maioris decima, regij nona, Ægyptij octaua.

Sed de sextario Hebraico, nempe de paruo hin, & item de cotula Hebraica, quæ ad explicandum Ezechielis locum facere videntur, adiiciemus.

Diximus superius eandem mensuram apud Hebræos interdum diuersis nominibus vocari, alio atque alio respectu: satum enim quod modium Romanum capit, quatenus est triens ephæ, vocatur satum; quatenus autem sextæ partis cori est pars, vocatur epha: ad eundem igitur modum in liquidis, mensura duorum sextariorum, quatenus est sexta pars hin cõgij Hebraici, vocatur hin, hoc est, Chus, siue sextarius Hebraicus, duplo maior quam Atticus chus, seu Romanus sextarius: quatenus verò est decima sextæ partis bathi, vocatur bathus. Itidem de mensura vnus sextarij sentiendum est: quatenus enim congij Hebraici est duodecima pars, & choos seu sextarij Hebraici semissis, vocatur log, hoc est, cotula seu hemina Hebraica, duas cotulas Atticas seu heminas Romanas capiens: quatenus verò duodecimæ partis bathi

bathi est pars, vocatur bathus. Nec illud prætereundum, quòd antiqui mensuras suas ita instituerunt, vt aridorum mensuræ haberent octuplicem proportionem ad liquidorum mensuras. Corus minor sex medimnos capiens bathum minorem septuaginta duorum sextariorum octies capit; & maior corus decem medimnorum, bathum maiorem centum & viginti sextariorum capit itidem octies: idem sentiendum de aliis coris & bathis, idem de partibus cororum & bathorum. Hæc proportio antiquitus conuenientissima est iudicata, inter mensuras aridorum & liquidorum. Proinde Salomon totidem bathos olei, itemque vini Tyrriorum Regi donat, quot & coros tritici: quo loco Iosephus, sicut diximus, coros intellexit, nõ integros, sed decimas cori, quapropter bathos quoque pro decimis bathi accipit: bathus enim coro & decima bathi, decimæ cori conuenienti, hoc est, octuplici proportione respondet: hinc est quod in scriptura hin & epha coniunguntur. Leuitici x i x epha iusta & hin iustus. Septuaginta autem epham interpretati sunt μέτρον, id est, modium, & hin chun, seu sextarium. Sciebant enim Septuaginta, quod mensura ephæ trium modiorum non responderet, neque magno hin neque paruo; idè ephā modium & hin sextarium exposuerunt. Chus enim seu sextarius Hebraicus responderet modio in octuplici proportione, in mo
dio

dio enim sunt octo choenices, choenix au-
 tem tantundem capit quantum chus, seu
 sextarius Hebraicus. Sic & apud Ezechie-
 lem loco superius allegato, epham arido-
 rum exponūt, *μέτρον*, id est, modium, & bath
 liquidorum mensuram choenica, propor-
 tionem liquidorum ad arida, hac voce si-
 gnificantius exprimere volentes. Eodem
 capite Ezechielis, vbi præcipitur, vt primi-
 tiæ dentur è coro frumenti, sexta pars
 ephæ, id est, semodius, ex batho olei
 decima pars Gomor, hoc est, bath mensu-
 ra. Septuaginta bath interpretati sunt co-
 tulam. Atqui bath accipitur etiam pro
 sextario Hebraico: cur igitur cotulam po-
 tius quàm choenicem hoc loco interpre-
 tati sunt? nimirum quia cotula Hebraica
 sextarium Romanum capiens, respondet
 sextæ parti ephæ, id est semimodio, in octu-
 plici proportione; modius enim capit se-
 decim sextarios; huius igitur octauam par-
 tem capit Hebraica cotula. Quot autem
 sunt modij in coro, tot sunt sextarij He-
 braici in batho; & quot semodij, tot cotu-
 læ. Verbi gratia: in batho maiori sunt cen-
 tum & viginti Hebraicæ cotulæ, hoc est,
 sextarij Romani, totidem & semodij sunt
 in coro maiori decem medimnorum; nam
 decem medimni sexaginta modios effi-
 ciunt, & semodios bis tantum; hoc est, cen-
 tum viginti. Idem de batho minori, & co-
 ro minori dicendum est. Sicut enim in ba-
 tho minori cotulæ Hebraicæ seu sextarij

*et semodi-
 us octo sex-
 tarios*

Romani sunt septuaginta duo, ita in coro sex medimnorum, modij sunt triginta sex, semodij verò septuaginta duo. In sacrificiis tamen apud Mosen non eadem proportio seruatur. Sed quoniam locus Ezechielis vbi de oleo scribitur, non est integer in translatione Septuaginta; ideo adscribemus integrum ex Hebræo. Sic enim in Hebræo legitur. Statutum verò olei, bathus olei, decimarius bathus de coro, decem bathis Gomor explentibus, quia decem bathi sunt Gomor. Corum vocat bathum integrum, homer duodecimã huius partem; bathum autem, hoc est, cotulam vocat decimã partem homer seu Gomor. Proinde cum dicit statutum olei, bathus olei, velut exponens addit decimarius bathus, vt intelligamus eum bathum qui est decima pars Gomor decem cotularum, nempe cotula Hebraica. Septuaginta autem pro decimario batho transfulerunt, de decem cotulis seu bathis: & certè ex Hebræo potest ita legi, vocalibus punctis mutatis; quæ puncta tẽpore Septuaginta nondum fuerunt, sed postea addita sunt à Rabinis. Similis apud Græcos proportio fuit mensurarum: cadus seu amphora Attica duodecim congiorum respondebat cypselæ sex medimnorum in octuplici proportionem, & bicongium medimno, &c. Atque hæc videtur esse causa, quòd Romani cum accepissent mensuras suas ab Atheniensibus, nempe medimnum, qui Atticus me-

dim-

dimnus dicitur aridorum, & semimedimnum liquidorum, hoc est, amphoram diuiserunt in alterius amphoræ congios liquidorum mensuram, sicut supra admonuimus, vt videlicet cōgij respondere possint medimnis aridorum, sicut apud Athenienses. Siculis autem medimnis qui Atticis maiores sunt quadrante, non hæc diuisio amphoræ, sed alia congruebat. Diuidebatur enim amphora Romana præter cōgios senum sextariorum, etiam in amphoras sedecim sextariorum, sicut ex Hieronymo annotauimus superius, ita vt âphora tres, & duæ amphoræ, hoc est, medimnum liquidorum sex huiusmodi amphoras minores caperet. Talis igitur amphora sedecim sextariorum respondebat medimno Siculo in octuplici proportione, sicut bicongiũ medimno Attico seu Romano eadem analogia respondebat.

Quod verò Siculus medimnus Italis fuerit in vsu, colligitur ex Polybio, qui libro secundo tantam fertilitatem Italiae dicit esse, vt temporibus Polybij in Italia sæpe venderetur Siculus medimnus tritici, quatuor obolis; & hordei, duobus obolis. sed hæc hæctenus.

SHALISH mensura liquidorum. Psal. LXXX. potasti eos lachrymis shalish, id est, mensura magna, shalish dicta. Esa. XL pro mensura aridorum dicitur, Quis mensus est pugillo aquas, & cælum spitama, & totum puluerem terræ mensura shalish.

Septuaginta psalmo supradicto, s'halifh interpretati sunt μέτρον, sicut satum, id est, modium interpretari solent: eodem modo & alterū satum, quod Iosephus sesquimodiū dixit, interpretati sunt quarti Reg. septimo. Iudæi mensurā hanc s'halifh dictā putant quasi dicas tertiarium; quod sit tertia pars mensuræ magnæ. fac trientē mensuræ magnæ, hoc est, bathi, tertia pars de septuaginta duobus sextariis, sunt viginti quatuor sextarij, nempe mensura duos hin capiens: fac mensuram aridorum tātundem capientē, viginti quatuor sextarij efficiunt sesquimodium Romanum, nempe satum cuius Iosephus meminit. Quod autē satū possit dici s'halifh, quasi dicas triens, cōstat ex iis, quæ superius de sato diximus; nā satum diximus tertiā partē esse duodecimæ partis cori. Probabile igitur est, vtrunque mensurā cum eiusdem quantitatis esset & vtraque maioris mensuræ esset triens, nomina inuicē sibi cōmunicasse, ita vt aridorum mensura s'halifh, & liquidorū mēsurā satū diceretur. Hæc si cui parum probatur, suspendat sententiā quo ad certius aliquid inuenerit de illa mēsurā. Est & alius locus, ex quo colligi potest, satum fuisse mensurā liquidorum, licet non eiusdem magnitudinis cum hac mensura, de qua modò diximus. Tertij Reg. cap. xvi i i hæc fere verba leguntur: Et fecit sulcum duorum satorū (sic enim Lyranus trāstulit.) alij autem, Fecitque aquæ ductum spatium duorum satorum

torum sementis in circuitu altaris. Septuaginta autē transtulerūt, Fecit mare quod caperet duas metretas sementis in circuitu altaris : ἐποίησε θάλασσαν χωροῦσαν δύο μετρήτας σπέρματος κύκλῳ τοῦ θυσιαστηρίου. Hic Septuag. fatū interpretati sunt metretam, quo nomine alias bathum, sicuti diximus, exposuerunt. Hinc auctor translationis nostræ bathum nonnunquam solet interpretari fatum, quasi fatum sit idem quod bathus, quamvis hoc loco non simpliciter pro facto metreta dicitur, sed pro fato sementis metreta sementis. Quod si fatum sementis mensura aridorum intelligenda est, metreta quoque sementis, necesse est, vt aridorum mēsurā intelligatur, etiamsi metreta Græcis, quod equidem sciam, non nisi de liquidis dicatur. Sed arbitrator Septuaginta abusos hac voce certa quapiam de causa, fortē quod fatū esset mensura quædam aridorum æqualis batho seu metretæ mensuræ liquidorum: vnde probabile esset vtramque mensuram cōmune nomen habuisse: quod Septuag. forte indicare volentes transtulerunt pro fato sementis, metretam sementis, vt intelligamus hanc mensuram liquidorum & aridorum fuisse. Nam ex hoc quod metreta dicitur, liquidorum mensura intelligitur: ex eo verò quod additur, sementis; intelligitur etiam aridorum mensura esse. Bathus quem Septuaginta metretam interpretati sunt, capiebat septuaginta duos sextarios Ro-

manos : fac igitur aridorum mensurá quæ tantundem capiat : septuaginta duo sextarij efficiunt modios quatuor & semissem, quæ est planè duodecima pars cori Regij nouem medimnorum, ephæ rationē obtinens, quæ corú in Samaria quæ Regú Israël regia fuit, colligimus in vsu fuisse ex Iosepho, qui libro nono satú, cuius vsus in Samaria fuit, sesquimodiú Italicú interpretatus est. sed hic fortasse aliquis obiiciat : Si satú de quo in præsentia agimus, æquale metretæ seu batho fuit, quatuor modios, & semissem capiens; cur satú & nõ potiùs ephæ dicitur, cum non tricesima sexta sed duodecima sit cori pars? Arbitror igitur, sicut supra ostendimus, tertiam partem ephæ, nempe modium Romanum, vnam & eandem mensuram iuxta aliam atque aliam rationem interdum satum, interdum ephæ dici : ita & hanc mensuram certa de causa etiam satum dictá esse. Credo enim fuisse apud Hebræos & alias mensuras iis quas diximus maiores; quemadmodum apud Persas fuit Achane, quadraginta quinque medimnos Atticos capiens, sicut Aristophanis interpres ex Aristotele annotauit. Nec Græcis ignota fuit Achane, vt apparet ex Aristophane & Arato Plutarchi. Talis apud nos etiam Achane est, *last*, nostro sermone vernaculo dicta, sexaginta medimnos capiens. His igitur non dissimiles fuisse apud Hebræos credo, alioqui mensuræ liquidorum hoc ipsum satis arguunt. Quis enim

enim credat bathú, hoc est, baryllam, maximá fuisse mensurá liquidorú, ipsa etiam voce refragáte? bath enim Hebræis filiam significat, vnde barylla dicta est bath, quod esset velut proles magnorú vasorú, in quibus liquida asservari solent. Sicut igitur de talento diximus, talentum non solum sexaginta minas, sed & quinquies sexiesve tantum pondus talentum dici; ita & mēsuras arbitror fuisse maiores tam aridorú quàm liquidorum, quæ coros & bathos, de quibus supra diximus, caperent aliquoties: vt verbi gratia, in Samaria quæ fuit regia Regú Israel, statuamus fuisse corum nouē medimnorú, & minoré corú, semissem huius, hoc est, quatuor medimnorú cum semisse, fac igitur mēsurá, quæ minoré hūc corum sexies capiat, nempe viginti septē medimnos, huius inquam mēsuræ tricesima sexta pars, hoc est, satú erit quatuor modij & semis, metreta semētis, vt Septuaginta interpretati sunt. Sed de his sentiat, vt quisquis vult, si hæc quæ attulimus parú probabilia videntur. Quod autē de taléto, coro & batho diximus, fuisse videlicet maiora pódera, quàm simplex talétú est, & maiores mēsuras quàm cor° & bathus est, idē de anno dicere possumus. Annus qui Hebræis shana dicitur, nō solú de spatio duodecim mēsiú sed de lóge maiori tēpore dicitur. Sicut *ἑβραίων* apud Græcos significat septē annorú significat & triginta añorú spatiú: ita apud Hebræos shana de lógo tēpore etiam dicitur,

tur, primi Reg. XIII, filius vnus anni erat Saul cū regnare cœpisset. Cōstat autem Saulem adultum fuisse, cū factus esset Rex: quomodo igitur fuit vnus anni, nisi annum accipiamus pro spatio multorum annorum? Et Iudicum decimo: Iudæi hostibus suis dicuntur esse traditi illo anno per decem octo annos, vbi annum intelligemus spatium maius aut certè non minus, quàm decem octo sunt anni. Iosephus libro primo ἀρχαιολογίας, annum magnum dicit esse sexcentorum annorum, quæ planè est decima de sex millibus annorum, quibus duraturum mundum credunt Iudæi ex sententia Helix, quisquis tādē fuit ille Helias, cuius feruntur esse illa verba: Sex millia annorum mundus & postea destructio: Decima pars de sex millibus sunt sexcenti anni, & de sexcentis decima sunt sexaginta anni, cuius semissis sunt triginta anni; γέρεα Græcis dicta, tempus quo peruenit ad perfectiōnem homo.

PLURA DE ANNO.

SE D non abs re fortassè fuerit de anno plura etiam addere; præsertim cū multa, quæ sumus hic dicturi, nōdum à quoquam, quod equidem sciam, obseruata sint.

Annus apud Hebræos duplex fuit, Solaris & Lunar. Solaris annus est tempus quo sol totum peragrat Zodiacum. Lunar. annus, duodecim lunationibus cōstat. Solaris
annus

annus sunt trecenti sexaginta quinq; dies,
& quadrans diei, hoc est, sex horæ.

Lunaris autem ánus, sunt trecenti quin-
quaginta quatuor dies.

Sicut autem duplex est annus, ita & men-
fis est duplex. Solaris mēsis est, dú sol in Zo-
diaco vnumquodq; signú percurrit, quod
fit triginta ferè diebus. Tales Ægyptij mē-
ses obseruabát, apud quos ánus fuit ccclx.
dierú, propterea quod Zodiacus in totidē
gradus sit sectus. Sed quia per ccclx dies
sol nō cōsumat cursum suum, ideo singulis
annis post duodecim menses tricenum die-
rum adiiciebant quinque extraordinarios
dies & quadrantem.

Lunaris autem mensis est tempus à no-
uilunio ad nouiluniú xxix dies continens,
& semissem diei. Hos menses Græci quoq;
obseruabát, apud quos menses erant trice-
num & alternatim x x i x dierum.

Tales menses duodecim efficiunt luna-
rem annum, trecentorum quadraginta
quinq; dierum, qui anno solari minor est
vndecim diebus & quadráte, & hac de cau-
sa Græci vt ánus lunaris adæquaretur sola-
ri anno, intercalabant nō quidem singulis
annis vndecim dies, sed tertio anno men-
sem triginta dierum; nam per tres annos
colliguntur, intercalares dies x x x i i i, ex
quibus intercalabant x x x, & residuos tres
dies addebant ad intercalares sequentium
annorum, quoad rursus excresceret nume-
rus epactarum ad x x x.

Hoc autē ideo faciebant, vt lunaris annus iisdē finibus quibus & solaris coërceretur. Bifariā enim annum cōsiderabant Græci, præsertim Athenienses, sicut Gaza de mē-sibus docet. Nā & solarem annum c c c l x dierum, obseruabant, & lunare c c c l i i i i dierū, post solares duodecim mēses quinq; dies, & si quid amplius opus erat intercalātes, postlunares verò xxx dies. Quod autem solaris lunarisque annus & mensis cōmunis fuerit Atheniēsisibus cū Hebræis, sicut pōdera, & mēsuras eis cōmunes esse docuimus, ex iis quæ deinde sumus dicturi de partibus anni, & multiplici apud Hebræos acceptione anni, manifestum fiet. Primò autem ex profanis auctoribus de varietate anni dicam, ne quis noua & inaudita me tradere putet, cū apud Hebræos tale aliquid fuisse docebimus.

Plinius libro septimo cap. XLVIII de anno ita scribit. Annum alij æstate vnum determinabant, & alterum hieme, alij quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres fuere: quidam lunæ senio, vt Ægyptij. Sed & Solini verba quæ capite tertio leguntur, adscribemus. Annus, inquit, apud Ægyptios quatuor mensibus terminabatur, apud Arcades tribus, apud Acarnanes sex, in Italia apud Lauinius tredecim, quorum annus trecentis septuaginta quatuor diebus ferebatur. Romani initio annum decē mensibus cōputauerunt. hætenus Solinus. Xenophon autem

autem in æquiuocis ita scribit: Annus etiã diuersus est; etenim Ægyptij vtuntur anno quandoq; menſtruo, ſæpe bi-meſtri, non raro tri-meſtri; ſæpe qua-dri-meſtri, nõnunquam ſolari. Quæ varietas etiã ex noſtris, qui ab eis litteras habuerunt, ſapientes coegit aberrare. Iberis annus qua-dri-meſtris, vt plurimum, eſt, rariffime ſolaris. E contra Chaldæi quum in antiquitate diſci-plina-rum ſuarum vtantur menſtruo, in ceteris ſemper ſolarem ſe intelligere fatentur. Ha-ctenus Xenophontis verba. Ex his ergo & ſimilibus auctorum testimoniis diſci-mus, quod ſemiſſis anni, & triens anni, & qua-drans anni, & ſexta duodecimaque pars anni, antiquitus vocabatur annus non ſolum apud alios atque alios, ſed & apud eoſdem interdum, ſicut apud Ægyptios anni mul-tiplicem acceptionem fuiſſe Xenophon hoc loco teſtatur.

De maioribus autem annis Cenſorinus ſcribit, magnitudinem eorum diuerſam inquiens, & à gentibus obſeruatam, & ab auctoriſus traditam, vt alij vnum annum magnum eſſe in annis vertentibus duo-bus, alij in multis millibus annorum arbi-trati ſint. Huiuſmodi autem anni Cenſori-nus proprium eſſe vult, vt ex annis verten-tibus ſolidis conſtet. Sed ad Hebraicum an-num redeamus.

Annus apud Hebræos, ſicut pondera & menſuræ, diuiditur in decimas & duodeci-mas, & item in quintas & ſextas. Solaris
anni

anni decima sunt xxxvi dies : Duodecima xxx. dies , sicut supra ostendimus , cum de mensuris ageremus.

Quinta lxxii dies , quæ quidem Atheniësbus etiam fuit vsitata , sicut Gaza ex Aristotele annotauit.

Sexta autem sunt lx. dies , Ægyptiis non ignota. Ultimo lib. Reg. cap. xv. Phaceias dicitur suscepisse regnum quinquagesimo anno Azariæ Regis Iuda , & regnasse in Samaria duodecim annos , iuxta translationem Septuaginta : quo loco xii annos intelligere debemus paruos annos , nempe sextas partes anni. Nam paulo post Phaceæ scribitur occiso Phaceia regnum occupasse , quinquagesimo secundo anno Azariæ Regis Iuda : vt dubium non sit , duodecim annos , pro duobus annis accipi debere.

Lunaris autem anni partes , præter lunationes , de quibus diximus , decimas etiam & quintas obseruauimus.

Decima lunaris anni sunt xx xv dies. Quinta autem septuaginta dies.

Sicut enim solaris annus non poterat cõmode in suas partes diuidi , nisi quinque diebus amotis , ita lunarem quoq; annum Hebræi remotis prius quatuor diebus diuiserunt in decimas & quintas , ita vt lunaris annus apud Hebræos , præter intercalares dies , fuerit trecentorum quinquaginta dierum ; qualem annum Herodotus quoque non ignorauit , apud quem Solon cum esset

esset apud Crœsum, vitæ humanæ spatium dixit esse septuaginta annos; qui, inquit, efficiunt dies viginti quinque millia, & ducentos, non computatis intercalariis diebus. si quis autem velit alterum quemque annum, mense vno longiorem fieri, vt singulæ partes anni in tempus sibi congruum incidant, menses intercalares per annos septuaginta fiunt triginta quinque, ex quibus mensibus dies sunt mille & quinquaginta. Ex quo loco Herodoti intelligimus annum antiquitus apud nonnullos fuisse dimidio mense, id est, quindecim diebus minorem quàm est iustus annus, ita vt alternis annis mensem triginta dierum necesse fuerit intercalare: talis autem annus est cccl. dies, de quo in præsentia agimus.

Nec illud quenquam mouere debet quod numerus dierum quem in vulgatis Herodoti exemplaribus legimus, non luna-
ribus sed solaribus annis cõgruat. Nã quod Herodotus lunares intellexerit annos, manifestius est quàm vt probatione indigeat: alioqui si quis solarem annum semimense
• longiorem faciat, ita vt altero quoque anno, intercalaris mensis integer excreſcat; fieri non potest quin horæ, id est, quatuor partes anni varient, & tempus hiemis incidat in ver, veris tempus in æstatem &c. quod est contra Herodotum, qui intercalationẽ ideo fieri debere scribit, vt ne quipiam tale accidat. Non dubium est igitur
nume-

numerum dierum deprauatum esse à scio-
 lo quopiam, & harum rerum imperito, qui
 cum ignoraret annum c c c l dierum, se-
 ptuaginta annos intellexit solares annos
 c c c l x, dierum. Atq; ita pro viginti qua-
 tuor millibus & quingentis diebus substi-
 tuit viginti quinque millia & ducentos dies,
 ex quo errore secutus est & alter error, què
 ibidè videre licet apud Herodotum. sed ad
 institutum redeamus. Partes, quas dixi, lu-
 naris anni, Hebræis propter septenarium
 numerum quem in se cõplectuntur in ma-
 gno fuerunt vsu. Decima enim, hoc est,
 x x x v dies sunt hebdomades quinque, &
 quinta, hoc est, l x x dies sunt hebdoma-
 des decem. Primi Reg. cap. x x v i i, Dauid
 dicitur in terra Philistæorum egisse dies &
 quatuor menses. Iosephus interpretatus
 est viginti dies, & quatuor menses. Nam
 huiusmodi locutione Hebræi decimas an-
 ni partes designabant. Nihil enim aliud est
 decima anni, nisi mensis & dies aliquot,
 nempe quinque aut sex. Non immerito
 igitur Iosephus quod in scriptura dicitur,
 dies & quatuor menses, transtulit viginti
 dies & quatuor menses: quatuor enim
 decimæ tricenum quinum dierum effi-
 ciunt viginti dies, & quatuor menses.
 Hac de re etiam cap. x x i x eiusdem li-
 bri Lachis Philistæorum Rex, ad Satrapas
 dicit: Nunquid non iste est Dauid seruus
 Saul Regis Israel, qui istis diebus aut annis
 fuit mecum? Ita enim in Hebræo legitur.

Septuaginta autem secus legisse videntur. sic enim transtulerunt : *γένονε μεθ' ἡμῶν ἡμέρας τοῦτο δεύτερον ἔτος*, id est, fuit nobiscum dies secundum hunc annum: hoc est, egit apud nos tempus alterum hunc videlicet annum. videntur Septuaginta coniunctionem disiunctiuam non legisse, quanquam & alias huiusmodi locutionem non dissimili modo transtulerunt, Genesis x x i i i i. vbi in Hebræo legitur, maneat puella nobiscum dies vel decem : Septuaginta habent, *ὡσεὶ δέκα ἡμέρας*, id est, circiter decem dies. Sic & nos vernaculo sermone nostro dicere solemus, mansisse aliquem in oppido per diem aut decem, id est, decem circiter dies. Præterea videntur Septuaginta duali numero legisse dies pro plurali. Sed siue secus legerunt Septuaginta quàm nunc in Hebræo legitur, siue explicandi gratia ita transferre voluerunt, omnino ex auctoritate illorum possumus intelligere hoc loco duos annos paruos, nempe duas anni quintas, quæ quatuor decimis constant. Nam si decima anni dicitur annus, sicut supra ostendimus, & hoc loco Hebraica docent; multo magis quinta pars anni, quæ duas decimas valet, potest annus dici. Adeo autem decima pars Lunarum anni vilitata fuit Hebræis, ut annum etiam haberent, qui duodecim huiusmodi constabat decimis, sicut Solaris annus constabat duodecim mensibus tricennum dierum, ita ut annus apud Hebræos præ-

præter solarem, & quem modò dixi lunarem annum, fuerit ccccxx dierum: qui quidem annus cum solari eam proportionem inter se habent, quam & partes eorum, nempe quæ est septenarij ad senarium: hanc enim proportionem habent xxxv ad xxx. Quo fit vt isti anni in hebdomade annorum coincidant. Septē enim solares ccc lx dierum tot habent dies, quot & sex anni ccc cx dierum. Septem igitur anni duodenum mensium valent sex annos duodenum decimarum. Proinde quod Solomon iuxta translationem Septuaginta duodecim annorum dicitur fuisse, cum regnum suscepisset, Iosephus quatuordecim annos eum vixisse ante susceptum regnum dicit, septenos annos pro senis numerans. Nec illud mouere quenquam debet, quod in Hebræo de ætate Solomonis ante susceptum regnum nihil legatur. Nam Septuaginta quæ transtulerunt, ex Hebræo haud dubiè transtulerūt. nec de fide exemplariorum Græcorum, quod ad hunc attinet locum, dubitare possumus, cum à Clemente, qui fuit Petri discipulus, hoc ipsum in Constitutionibus Apostolicis libro secundo citetur hisce verbis, *ὁ δὲ Σολομὼν δαδευατὴς τοῦ Ἰσραὴλ ἐβασίλευσεν.* etenim Solomon (inquit) duodecim natus annos factus est Rex Israel. Probabile est igitur Hebræos locum illum omisisse, quod cum aliis scripturæ locis dissidere videretur. Scribitur enim Solomon senex factus

factus esse. Si autem senex fuit, nõ est probabile eum duodecim annos vixisse ante regnum, quandoquidem quadraginta annos tantum regnasse scribitur. Deinde si quadraginta annos regnavit Solomon, & duodecim annorum fuit cùm suscepit regnum; quomodo filium Roboamum quadraginta vnus anni relinquere successorem potuit? Solomon enim decem annos natus, non potuit Roboamum procreare, vt vndecimo Solomonis anno nasceretur. Propter vitanda igitur huiusmodi absurda, videtur locus ille, de duodecim annis omissus esse. Atqui in scriptura nihil est absurdi, si modò quis eam recte intelligat, sicut Septuaginta intellexerunt & Iosephus, qui nihil contrarium veritati in scriptura videntes locum hunc integrum seruauerunt. Porro quadraginta annos Iosephus, quibus Solomon regnavit, duplicatos intellexit annos, cùm dixit, Solomonem octoginta annos regnasse, & nonaginta quatuor vixisse. Nec dubium quin solares annos Iosephus intellexerit, Græcis videlicet & Romanis, quibus suam historiã scripsit, vsitatos: vnde colligimus quod apud Hebræos, sicut & apud alias gentes, duo solares anni vocabantur annus. De anno autem duodecim decimarum duplicato, extat testimonium libro primo Paralipomenon, vbi Dauidi optio proponitur à Deo, vt eligat sibi, aut famem tribus annis, aut hostium persecutionem tribus

mensibus, aut pestem tribus diebus. Hoc loco annos duplicatos intelligere debemus, ita vt tres anni valeant sex annos duodenum decimarum. Nam sex huiusmodi anni constituunt septem solares annos : & ideo secundus liber Regum pro tribus annis habet septem annos, & Iosephus septem annos quoque interpretatur. Septuaginta tamen secus intellexisse videntur illum locum quàm Iosephus, nam vtrobique tres annos interpretati sunt. Itaque in lib. Regum septem annos accepisse videntur, pro septem semissibus anni solaris. Nam septem semisses anni solaris efficiunt tres annos duodenum decimarum. Sicut enim semissis talenti dicitur talentum; ita & semissis anni annus, non solum apud Hebræos, sed & apud alias plerasque gentes, sicut supra ostendimus. Hinc est quod decimæ quoq; anni partes dimidiatæ fuerunt; nam dimidiato anno dimidiatæ competunt partes. Dimidiatæ decimæ vocantur menses primi Reg. sexto, vbi dicitur arca apud Palæstinos fuisse septem mensibus. Iosephus enim pro septem mensibus, quatuor menses interpretatus est. Nam septem semisses decimarum, seu, quod idem est, tres decimæ & semis efficiunt dies integros $cxxii$, quatuor videlicet menses Romanos, qui tempore Iosephi Græcis etiam fuerunt in usu.

Sicut autem sex talenta dicuntur talentum, ita & sex anni dicuntur annus apud He-

Hebræos: proinde quod in Genesi Sem dicitur genuisse Arphaxatem, biennio post diluuium; Iosephus duodecim annos interpretatus est; senos annos pro singulis numerans.

Sed de anno Hebraico in præsentia hæc dicta sufficiant. Neque enim ex professo de anno hic tractare instituimus, sed gustum tantum studiosis voluimus dare, & occasionem exactius hac de re commentandi: fortasse autem & nos plura de anno scribemus, si otium ad eam rem fuerimus nacti. Nam in plerisque nondum ipsi nobis satis fecimus, quod genus est de annis Adami & qui Adamum secuti sunt. Constat enim Adamum, & plerosque alios post Adamum plusquam noningentos annos vixisse. Sed illud quærendum est cum in Hebræo legatur Adam vixisse cxxx annos antequam genuisset Setum, post natum autem Setum octingentos annos; cur Septuaginta pro annis cxxx, transtulerunt ducentos & triginta (sic enim habent emendatiora exemplaria) & pro octingentis annis septingentos. Hæc & similia non defuturos spero qui explicabunt.

F I N I S.

τῶ δὲ θεῷ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῆς
αἰῶνων, ἀμήν.

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM est Regio priuilegio, ne quis alius
præter Christophorum Plantinum, librū, cui titulus
est: Stanislai Grsepsij, De multiplici fido, &
talento Hebraico, &c. imprimat, vel alibi im-
pressum vendat hinc ad trienniū, sub pœna confisca-
tionis librorum, vt latius patet in literis, datis Bru-
xelle M.D. LXVIII.

Subsignat.

I. de Witte.

PRIVILEGII CÆSAREI
SVMMA.

MAXIMILIANI II. Romanorum Imperatoris semp. Augusti, publico edicto cautum & sanctum est, ne quis cuiuscunque status, gradus, ordinis, aut cōditionis fuerit, quacunque sacri Romani imperij, & ditionis eius fines patent, quæcunque probatorum auctorum opera, quotquot vel hæctenus nondum impressa, vel ab alijs quidē impressa, nouis autem deinceps scholijs, annotationibus aut commentarijs aucta & illustrata, Christophorus Plantinus typographus Antuerpiensis primus typis procuderit, intra proximum sexennium à prima cuiusque operis aut voluminis editione, vilo pacto eiusdem vel diuersi characteris forma excudat, aut excusa ab alijs, intra eiusdem Maximiliani & Imperij fines vendenda importet, seu quouis modo distrahat manifestè vel occultè, sub pœna decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fisco Imperiali fraudis vindici, residua verò pars prænominato Plantino cedat, præter librorum ad imitationem impressorum amissionē, quos idem Plantinus vbicunque locorum nactus fuerit per se, vel suos, adiumento Magistratus loci, vel citra, propria auctoritate sibi vendicare, inq; suam potestatem redigere poterit. In cuius rei fidem ipsi Edicto manu subscripsit, & sigillum apponi iussit Cæsarea Maiestas. Datum in ciuitate Viennæ Austriae, die vigesima prima mensis Februarij, Anno Domini c 10. 10. LXV.

Subsign.

Maximilianus.

Ad mandatum sacre
Cæs. M. proprium
Haller.

EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS
PLANTINVS, ANTVERPIÆ,
XXIII. MARTII.
M.D.LXVIII.

*Quo pacto mensura antiquæ com:
modi extruantur.*

*Amphora seu Quadrantal in longum, latum,
et profundum habet pedem Romanam duobus
cum octo pollicibus. Vn si multiplices duodecim
duodecim duodecim prominet numerus 1.1.28.
pollicum quadratorum seu cubitorum, que est amphoræ
capacitas.*

*Muchas autem est tertia pars quadrantal
seu amphoræ. tertia pars est 1.1.28. ca:
pit. nempe 5.16. pollicibus quadratis seu cubitis.*

Vñ modius debet habere intus longitudinem no-
num pollicum, latitudinem octo pollicum et profun-
ditatem itidem octo. Si enī multiplices octies
numum pronunciat 12. dicitur si productum hor-
um \times octo multiplicabilis pronunciat 5. 16.

Chenix autē cui fit octava pars modii habet
octavam partem de 5. 16. nimirum 12. pollices
quadratos seu cubicos. Chenix igitur ita exteri-
us debet ut intus habeat longitudinis pollices 6
latitud. 4. profundi. 3. Nam si 6 multiplices
4 \times 4, et productum rursus \times 3. pronunciat 12.

Cotula Attica cui fit tertia pars Chenicis
habet 24 pollices quadratos seu cubicos. Vñ
cotula debet intus habere longit. pollices 4.
latitud. 3. profund. 2.

Sextarius autē dimidiū Chenicis capit 36
vñ pollices quadratos, qui pronunciat ex longi-
tudine 4 pollicum ex lat. 3 polli. et ex pro-
funditate 3 inde pollicum.

Comor autē seu Assaron Hebraicum capit
septem cotulas Atticas, nimirum 1. 6. 8. polli-
ces quadratos seu cubicos. Habebit igitur
Comor intus longitudinis septem pollices

latitudi 6. profunditati 4. Nam si
multiplicet septem 4 sex et producat 4
quatuor promoueat 1.6.8.

Zepha aut quoadquod dicitur affarones de
rem, necesse est eam habere pollicis quatuor
tos seu cubitos 1.6.8.0. Vn constructa

Zepha longitudine 14 pollicum latitudi
ne 12. profunditati decem.

Ad hinc modum et alia mensura possit fieri.



